DISSERTATIO PHYSIOLOGICO-MEDICA INAUGURALIS,

DE MENSIBUS, EX MATERIA QUADAM PECULIARI, OVARIIS SECRETA, ORIUNDIS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BAVII VOORDA,

J. U. D. ET PROF. JUR. CIV. ET HOD. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS
MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS, AC
PRIVILEGIIS RITE, ET LEGITIME
CONSEQUENDIS,

Publico Examini ſubmittit

PHOEBUS HITZERUS THEMMEN,

GRONINGA BATAVUS.

*REG. SOCIET. MEDIC. EDINBURG. SODAL.
ET SOC. PHIS. EDINENS. SOC. HON.*

Ad diem XXV. *Junii* CIƆIƆCCLXXXI. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD LUZAC ET VAN DAMME,
MDCCLXXXI.

Non fingendum, aut excogitandum, ſed inveniendum quid Natura *faciat aut ferat.*

BACO.

CONSULTISSIMIS VIRIS.

D. HENRICO JOHANNI NAUTA.

J. U. DOCTORI, CELEBRIS COLLEGII XXXVI VIRORUM CIVITATIS GRONINGANÆ, (VULGO *Taalmannen en Gezworene Meente*) MEMBRO QUONDAM DIGNISSIMO; NUNC VERO NOMINE PRÆPOTENTIS SENATUS GRONINGANI VECTIGALIUM, TRIBUTORUMQUE CIVITATIS, AC JURIS STAPULÆ (VULGO *de Stads Pundtkamer*) CURATORI VIGILANTISSIMO, FIDELISSIMO, EJUSDEMQUE COLLEGII PRÆSIDI STRENUISSIMO.

AVUNCULO SUO UNICO, OLIM TUTORI FIDELISSIMO, CARISSIMO, QUI PATRIS ADINSTAR AB IPSA INFANTIA AD HUNCCE DIEM USQUE SALUTEM SUAM PROMOVERE CONATUS EST, AD ULTIMUM VITÆ HALITUM COLENDO, VENERANDO.

NEC NON

D. HEMMONI ARNOLDO WERUMEUS.

J. U. DOCTORI, EJUSDEM INSIGNIS COLLEGII XXXVI. VIRORUM MEMBRO SPECTATISSIMO, UT ET COLLEGII AD JUS STAPULÆ GRONINGÆ CONSTITUTUM DIRIGENDUM ASSESSORI DIGNISSIMO, GRAVISSIMO.

ET

D. HENRICO GULIELMO HOVING.

J. U. DOCTORI, MEMORATI SPECTATI XXXVI. VIRORUM MEMBRO HONESTISSIMO, JURISDICTIONIS CAMPORUM ARBITRO (VULGO *Grietman van de Jurisdictie de Campen*) ET CORAM SUPREMA GRONINGO - OMLANDIÆ PROVINCIÆ CURIA CAUSARUM PATRONO FIDELISSIMO, FACUNDISSIMO.

COGNATIS SUIS SPECTATISSIMIS, TEMPORE QUANDO ADHUC IMPUBES BONORUM SUORUM CURATORIBUS OPTIMIS, SEMPER ÆSTIMANDIS.

UT ETIAM

D. JOHANNI WERUMEUS.

ECCLESIÆ, QUÆ WINSCHOTIS INTER OLDAMPTINOS EST, PASTORI FIDELISSIMO, ORTHODOXÆ VERITATIS DEFENSORI INTEGRO, VIRO INSIGNI PIETATE, VITÆQUE IMMACULATA INTEGRITATE EXIMIO.

AVUNCULO SUO MAJORI UNICO, DILECTISSIMO.

E T

D. LUDOVICO MUNTINGHE.

J. U. DOCTORI, PRÆDICTI COLLEGII XXXVI. VIRORUM MEMBRO QUONDAM HAUD INDIGNO: NUNC AUTEM PRÆPOTENTIS SENATUS CIVITATIS GRONINGANÆ NOMINE WESTERWOLDÆ PAGORUM, ADJUNCTORUMQUE MOENIUM JUDICI VIGILANTISSIMO, GRAVISSIMO.

COGNATO SUO CARISSIMO.

Haſce Studiorum ſuorum primitias, omni, qua decet, veneratione atque obſervantia.

Dedicat.

AUCTOR.

LECTORI BENEVOLO.

Ante duos annos examine Medico in alma Lugduni Batavorum Academia peracto, diu dubius hæſi, quamnam materiam pro Diſſertatione Inaugurali ſeligerem: tandemque illa quæ poſſem DE OVARIIS EORUMQUE MORBIS *obſervare animus erat: ad quam ſubtilem materiam elaborandam Britanniæ, & Galliæ Noſocomia frequentandi, Ovariaque per plura tam morboſa quam ſana diſſecandi occaſio mihi non parvam tribuit lucem.*

Opus vero tandem elaboratum nimis excurrebat anguſtos diſſertationis limites; qua de cauſa unicum ſolummodo caput (dum reliqua poſtea edere conor) DE MENSIBUS nempe EX MATERIA QUADAM PECULIARI OVARIIS SECRETA ORIUNDIS *agens, pro hoc ſcopo ſelegi, quod in fallor novam men-*

menſtruationis theoriam continet: ſpero interim fore, ut benevolus Lector hancce diſſertationem absque ullo praejudicio perlegat, & poſtea judicet, Raro enim (*inquit* HALLERUS) (*a*), etſi aliquando tamen veritas etiam in libera medicorum republica a præjudicio oppreſſa ſuccubuit.

Sed quis hodiernorum adeo ſtultus atque vanus eſſet, ut cum ALEXANDRO MASSARIA *diceret, ſe potius velle cum* GALENO *perverſam, quam cum hodiernis rectam rerum ideam fovere.*

Ego vero potius ſummo cum HORATIO.

Nullius addictus jurare in verba Magiſtri,
Aſt verum, & veri cupio cognoſcere cauſas.

(*a*) Elem. Phyſ. tom. VII. p. 172.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICO-MEDICA INAUGURALIS,

DE MENSIBUS, EX MATERIA QUADAM PECULIARI, OVARIIS SECRETA, ORIUNDIS.

SECTIO PRIMA.

Generalia quædam de fluxu menſtruo.

§. I.

Menſtrua, menſes, fluor menſtruus, catamenia, ab aliis feminarum flores, ab Hippocratis tempore in huncce diem usque vocatur Phyſiologis ſanguinis (*a*) quædam evacuatio per vaſa uterina

(*a*) Mihi vero dicitur loco *ſanguinis* periodica quædam eva-

na (*b*) ut nonnulli, per vaſa vaginæ (*c*) ut alii, & per utraque, (*d*) ut alii rurſus voluerunt, ſingulis ſi natura curſum ſuum obſervat menſibus, temperatis in regionibus recurrens, certo juventutis tempore ſingularibus phœnomenis incipiens, & graviditate plerumque deſinens.

§. II.

Hæcce evacuatio feminis adeo neceſſaria eſt, ut ejus abſentia ſterilitatem producat, ſic quoque ſacra ſcriptura de ejus defectu tanquam ſterilitatis ſigno

---

evacuatio mateteriæ albicantis, nunc ſanguine tinctæ, nunc vero absque ſanguinis indicio plerumque tamen cum magno illius fluxu conjunctæ.

(*b*) Littre Academ. des Scienc. 1702. pag. 281 & 282. Morgagni adverſ. Anatom. 1 pag. 45 & 46. ſic quoque Galenus, Ruisch, Sprye, Ens, & plurimi.

(*c*) Piso de morbis ex colluv. ſeroſ. Sect. 2. part. 2. cap. 7. pag. 131. ut quoque Riolanus, Vieussens, Sanctorinus aliique.

(*d*) Heisterus Med. Chir. Anatom. pag. 840. Plazzonus pag. 122. Highmor. pag. 100. Freind. c. 5. Hoffman pag. 229. Mauriceau. obſ 29. p. 93. Stahl. p. 391. Mauriceau & Stahl plus tribuerunt utero, Plazzonus & Hoffman vaginæ ſi autem omnia accurate perſpiciamus uterum naturale catameniorum evacuationis eſſe organum manifeſte patebit, quod etiam cum Hippocratica doctrina convenit qui *περι γυναικειων*, &c. menſes ubique utero tribuit: aliquando tamen per ipſam vaginam catamenia fluunt, quæ forſan eſt cauſa cur graviditatis tempore menſes non nunquam absque ullo malo ſeſe obſerant.

Por-

ſigno mentionem facit, *Sara* (*e*) enim id de ſe ipſa dicebat, dum angelus illi, quod filium in lucem editura foret, annunciabat.

§. III.

Catameniorum fluxus reſpectu climatum differt, in noſtra regione ſic quoque apud Britannos puellæ tredecim, quatuordecim, vel quindecim annorum plerumque menſtruare incipiunt, & ad annum quadrageſimum quintum vel quinquageſimum cœptis ſuis inhærent: nonnullis tamen anno ætatis undecimo, decimo, imo aliquando nono catamenia jam fluunt, ſed hi caſus ſunt extraordinarii; ſic quoque aliquando menſtruatio retardatur, & novi feminas anno ætatis decimo nono, & vigeſimo menſtruare inchoantes, attamen illas quas vidi a pubertatis tempore

Porro inter Phyſiologos lis eſt num per arterias an per venas catamenia fluant: BOERHAAVE, ASTRUC, DUVERNEI, LITTRE, aliique, per arterias fieri affirmant: BAUHINUS vero ejusque aſſeclæ venarum ope catamenia expelli ajunt. Ill JOHN HUNTER BAUHINI opinionem amplectitur. Celeb. vero W. HUNTER ex arteriis oriri ſe ſæpiſſime obſervaſſe dicebat.

(*e*) Geneſ. 18. v. 11, 12. *Abraham* autem, & *Sara* erant vergentes ætate: deſierat eſſe *Sara* ſecundum conſuetudinem mulierum.

Quapropter ridebat *Sara* apud ſe dicendo, poſtquam vetula facta ſum foret mihi voluptas, deinde dominus meus ſenex eſt.

pore usque ad regulare menſtruationis initium ſanas vixiſſe dicere non audeo, ſingulo enim menſe catameniorum ſcilicet tempore ſymptomatibus mulierculis menſtruantibus ordinariis cruciabantur.

§. IV.

Fluxus menſtruus pro maxima parte regularis eſt, & redit noſtra in regione ſingulo menſe vel ſingulis quatuor hebdomadibus, ſi vero clima calidius ſit, puellæ ætate minores jam menſtruant, illisque, octavo, nono, vel decimo anno catamenia regulariter fluunt, & tertia quaque hebdomade (*f*) redeunt, dum in climate frigido ut Linnaeus (*g*) apud Lappones obſervavit feminis plurimis catamenia quidem fluunt, ſed irregulariter, & quantitas quæ expellitur parva eſt.

Menſes in climate temperato ut noſtro plurimis feminis per tres, aliis quinque, & nonnullis ſex fluunt

(*f*) Fitzgerald par. 3. ait quod feminæ Perſicæ quæ otio & luxuria adeo ſunt celebres, bis & aliquando ter intra menſem ſanguinem de utero fundant: ſic quoque feminæ libidinoſæ œſtro venereo valdequam affectæ aliquando bis in menſe in Anglia & Hollandia menſtruant.

(*g*) Flora Lapponica pag. 324.

fluunt dies, (*h*) imo aliquando per novem & decem pergunt, verum mulierculis illis temperamentum eſt laxum, atque damnoſa illa hypocauſta (*i*) (noſtratibus *ſtooven* dicta) atque aquæ tepidæ abuſus maximopere ad id producendum, adjuvant.

§. V.

Omnes fere auctores, qui de catameniis ſcripſerunt, eorum quantitatem ponderarunt, ſed me judice exactam noscere quantitatem impoſſibile eſt, neque ejus cognitio multum boni adfert: auctorum tamen opinionem breviter proponam: Hippocrates in Græcia duas ſanguinis heminas (*l*) quod eſt unc. viginti menſtruatione expelli opinabatur. Freindius (*m*) feminas in Anglia eandem menſtruatione

(*h*) Græcis quoque biduo vel triduo abſolvebatur periodus teſte Aristot. hiſtor. anim. lib. vi. c. 11. ſic etiam Hipp. lib. de fœtu Octim. triduo & ultra.

(*i*) Sic quoque hypocauſtorum abuſum ad fluorem album noſtra in regione tam familiarem producendum multum adferre, opinor.

(*l*) Attica *κοτυλαν* æquivalet heminam Romanam ut patet ex Jo. Casp. Eisenschmidt de pondere & menſura pag. 74.

(*m*) Singulo die ſeptem accumulari ſanguinis drachmas in corpore feminino, Freindii erat opinio.

tione amittere quantitatem affirmat, verum certus ſum Britannicas mulierculas non tantam de utero fundere ſanguinis copiam: FITZGERALD ad quatuordecim vel quindecim uncias catamenia in Hiſpania fluere dicit: GORTERUS apud Batavos ad ſex unc. HALLERUS in ruſticis Germanis ad unam unc. in vita communi ad unc. ſex vel octo: ASTRUC in Gallia ab unc. octo ad ſedecim menſtruare feminas dicit: Cel. HUNTER feminas Anglicas nunc quinque, nunc ſex, nunc octo uncias menſtruationis tempore amittere obſervabat, verum conſtitutione, ait, valde quam differunt una uncias octo, altera quatuor de utero fundit ambae tamen bene valent, uni per totum vitæ curſum ad uncias duas per duas dies cruciatibus vehementioribus ſingulo menſe catamenia fluunt, dum alteri ſine dolore, & fere ullo incommodo per ſex dies unciæ viginti vel triginta expelluntur, & ſtadio præterlapſo ambæ ſaniſſime vivere pergunt. DE HAEN (*n*) vero nunc quatuor, nunc quin-

(*n*) Ratio medendi part. 4. cap. VI. pag. 204. Teſte SWIETENIO hanc artem uſurpavit ut exacte ſcire poſſet ſanguinis menſtrui quantitatem: ſanguini recens miſſo, & adhuc calenti cujus copiam noverat præciſe immiſit linteamina dein magnitudinem oriundarum inde macularum examinavit notavit;

quinque, nunc ſex, raro tamen decem expelli uncias experimentis probare conatus eſt. HAENII autem experimenta non valent; quia primo multum calore partium evaporat, & ſecundo, quia ſanguinis fluiditas non in omnibus feminis nec iisdem in mulierculis omni tempore eadem eſt: nam ſanguinis cohæſio reſpectu diætæ, climatis, atque temperamenti quammaxime differt.

---

vit; ſæpius hæc tentando, didicit, ſanguinis linteaminibus incepti quantitatem, quovis depoſito pretio, exacte calculare.

SECTIO SECUNDA.

Auctorum opiniones de fluxus menſtrui cauſis.

§. I.

Si omnes opiniones, quas de catameniorum cauſis tam veteres quam recentiores ſtudio inveſtigarunt atque ſcriptis tradiderunt deſcribere vellem, opus infinitum foret: praecipuas tamen enumerabo.

§. II.

Aristoteles ejusque aſſeclae catameniorum fluxum Lunae phaſibus obedire putabant, quia ut in Lunae circuitu, ſic etiam in menſium fluxu intra quatuor hebdomades curſus quidam regularis obſervabatur, & quod feminis aetate majoribus ſub plenilunio junioribus ſub novilunio catamenia fluerent: unde verſiculus.

Luna vetus vetulas, purgat nova Luna puellas.

Illorum opinionem inter recentiores ſecuti ſunt ingenioſus Richardus Mead Angliae decus, Cl. Craanen aliique.

§. III.

§. III.

Altera opinio eſt illa, quae ſeculo naſcebatur Chemico, quo medici ſingularem quamdam in corpore feminino fermentationem (*a*) ſingulo menſe fieri magno molimine demonſtrare tentabant. Nam ut fermentatione liquores abſterſis ſordibus eluebantur & vaſa rumpebantur ſanguinem femininum purgari, vaſaque uterina frangi exiſtimabant.

§. IV.

Alii quos plurimi recentiores ſecuti ſunt plethoram pro menſtruationis cauſa vera habuerunt hi univerſalem, alii topicam fieri plenitudinem affirmant. Ambas examinemus opiniones.

De plethora univerſali.

GALENUS in libro ſuo de venaeſectione ait. *Nonne Natura ipſa mulieres evacüat ſanguine ſuperfluo ſingulis menſibus foras effuſo? Quippe muliebre genus,*

(*a*) Id fermentum nonnulli in utero ipſo, ut VIEUSSENS, alii in ejus ſinubus cavernoſis ut CHARLETON quæſiverunt.

nus, quod domi ageret, neque vehementibus laboribus exercetur, neque ſub claro ſole viveret, & propterea quam plurimos humores, coacervaret, oportebat opinor evacuationem hujuſce plenitudinis tanquam remedium a Natura datum accipere. — Plurimi medici, & quidem hodierni hancce Galeni opinionem foverunt, & ad illam magis magisque demonſtrandam ſequenti modo argumentantur.

1°. Quia feminae viris ſunt debiliores ad formandam plethoram magis aptae, nam quoniam vis cordis arteriarumque majorum ſit minor, minor quantitas ad glandulas propellitur, ſecretiones ergo minori fiunt gradu, & exinde accumulatio & plethora naſcitur.

2°. Mulierculae minori gaudent exercitio, quam viri & in vita communi obſervatur, quod animal bene nutritum, & exercitio carens juſto obeſius fiat & exinde ſanguinis accumulatio & plethora creetur.

3°. Menſes pro maxima parte viraginibus, atque feminis ruſticis multo labore corpus quotidie exercentibus nulla vel ſaltem minima quantitate fluunt quia non tam plethoricae ſunt ac quidem aliae temperamenti laxi.

4°. In

4°. In ſexu ſequiori, antequam virgo ad ακμην pervenerit Natura omnem chylum ad corpus nutriendum impendit, ſi vero incrementi ſui terminum attigit, eadem chylificatio, atque abſorbtio ac antea fit, ergo ſanguificatio etiam eadem quantitate fieri oportet, & quia nutritio illo tempore minori fit gradu, neceſſarie accumulatio & plethora oritur, quam menſium ope natura imminuit, ut corpori ſanitatem procuret.

§. V.

De Plethora topica.

Nonnulli plethorae univerſalis exiſtentiam negantes topicam uterinam nempe, plenitudinem pro catameniorum cauſa habuerunt, atque ad menſtruantium phoenomena explicanda, ſyſtemaque ſuum probandum ſequentia adferunt.

1°. Quod feminarum arteria aorta deſcendens, ejusque ramificationes majorem ac virorum habeant capacitatem, & exinde major ſanguinis quantitas in ſexu ſequiori, quam in virili ad pelvim propellatur unde accumulatio uterina, & plethora naſcatur, quia

ve-

venæ uterinæ capacitate ſua non reſpondent arteriis, & in refluxu ſanguinis impedimentum quoddam oriatur, ex quibus plethora fit, quæ menſibus tollitur.

2°. Quod venae uterinæ valvulis careant, & exinde ſanguinis arteriis propulſi reditus ad cor retardetur, dum notum eſt, valvulas ad circulationem promovendam quam maxime eſſe neceſſarias, earum enim ope ſtagnatio tam in brachiis quam pedibus impeditur: hiſce in utero deficientibus ſanguinis accumulatio ibi fieret, unde plethora naſceretur uterina.

3°. Quod uteri & vaginæ particularis quædam quo ad preſſuram & calorem plethoram producendi diſpoſitio eſſet, & quidem primo quia ſanguis in femina contra leges gravitatis adſcenderet, quo uterus humanus ad topicam formandam plethoram utero animali, quia humano in pelvi perpendicularis, in animimali vero horizontalis fit fluxus, magis aptus eſſet (*b*) & ſecundo, quia uteri calor aliis C. H. partibus major eſt.

Ex

(*b*) Haller. Elem. Phyſiol. tom. VII. part. II. pag. 169.

Ex quibus omnibus plethoræ uterinæ cauſam explicare conantur.

SECTIO TERTIA.

Harum opinionum refutatio.

§. I.

Contra illos, qui menſium cauſam a Luna petunt objicio: ſi Luna imperium quoddam in menſtruorum productione haberet, differentias quasdam eodem tempore in differentibus terræ partibus obſervari neceſſarium erat: tunc ætate differentes feminæ non eodem tempore menſtruarent: tunc eadem in regione, eadem in urbe & domo in novilunio, & plenilunio pro ætatis differentia mulierculis catamenia fluerent. Et ſi Luna attractione ſua ad menſes producendos operaretur in Lunæ vario ſitu reſpectu illorum fluxus differentia obſervanda erat; quod tamen non fit, nam in genere nulla datur dies tam in ſyzygiis quam quadraturis, tam in apogæo quam in peri-

rigaeo, qua non in qualibet urbe paulo majori feminæ juniores, æque ac ætate majores menſtruantes inveniuntur.

§. II.

Qui a fermento quodam catameniorum cauſam deducunt, nec experimentis nec ratiocinio probare queunt, quomodo 1°. hæc fermentatio adeo regulariter fiat, quamvis irregulariter tam quantitate quam qualitate, differenti cibo & potu utantur feminæ. 2°. Cur fermentatio hæc non malos antea producat effectus, quam ipſiſſimo menſtruationis tempore. 3°. Cur ſolummodo in utero fit non vero aliis in locis, & 4°. Unde ſit quod fermentum hoc originem ſuam habeat.

§. III.

Ambæ modo deſcriptæ opiniones jam dudum exſularunt & ab omnibus fere auctoribus exploſæ ſunt: Plethoræ vero ſyſtema nunc ferme ubique amplectitur.

Quod ad *Plethoram Univerſalem.* Non omnes feminæ regulariter menſtruantes viris ſunt debiliores, licet denſitas eorum vaſorum forſan differat;

&

& ſi haec eſſet cauſa viraginibus, feminis ruſticis, & mulierculis fortioribus quam viri catamenia non fluerent; contrarium tamem fit quamvis fatear, quod illis in feminis ſanguinis evacuatio non tantâ fit copiâ, ac quidem in debilibus, & cauſa in promptu eſt, quia in illis ſecretiones & functiones naturales meliori & majori vi exercentur; porro vaſcularis ſyſtematis elaſticitas in illis eſt major, & jam dudum obſervatum eſt, quo minus elaſtica ſint vaſa, eo debiliora. Attamen in feminis robuſtis atque viraginibus menſtruationis ſymptomata regulariter ſeſe obferunt, & quamvis non quantitate, qualitate tamen catamenia fluunt.

§. IV.

Si porro debilitas eſſet in ſyſtemate vaſculari, in tunica muſculari haereret, & fibra muſcularis non ſolummodo vaſorum ſanguiferorum, verum totius corporis juſto laxior eſſet, in ventriculo ergo inteſtinis, vaſis abſorbentibus &c. idem contingeret, hiſce veris & chylificatio & ſanguificatio minori gradu fierent, quibus plethora impediretur, quam theoriam experientia probat; femina nempe de-

debilis, fibris laxis gaudens non ſit plethorica verum temperamentum acquirit laxum & plerumque nec tempore, nec quantitate nec qualitate catamenia fluunt; ſed non nunquam exinde cachexia oritur, ejusque ſequelæ tragœdiæ finem faciunt. Et ſi fibra debilis plethoram produceret viri debiles morbis ex plethora ſaepiſſime laborarent, quod tamen non ſit, ſed in illis æque ac in feminis cachexia, & collectiones fluidorum præternaturales plurimæque eorum ſequelæ exinde non raro oriuntur.

§. V.

Si minus exercitium menſtruationis eſſet cauſa quia exinde produceretur plethora, feminis nullo fere vel ſaltem juſto minori exercitio gaudentibus, catamenia optime fluerent, & ſi obſtruerentur, ſanguinis plenitudo exinde naſci deberet, quod tamen locum non habet, ſed feminae hæ fiunt laxiores, & obeſiores pulſumque acquirunt debilem, & plerumque vel non menſtruant, vel catamenia absque ſanguinis rubri indicio parva quantitate, & pro maxima parte irregulariter fluunt, dum e contra aliæ corpus ſuum multum exercentes colore gaudent florido,

ro-

robuſtæ ſunt, & regulariter menſtruant: (*) ſi porro plethora catameniorum eſſet cauſa omne quod hancce plenitudinem impediret, ut juſto minor cibi potusque quantitas, menſtruationi reſiſteret, & mulierculae non iisdem temporibus ac antea menſtruarent, verum nunc octavo, nunc nono, nunc decimo menſe ſanguinem de utero funderent, quod tamen non fit: ſic quoque feminis, quæ ope venæſectionis (*a*) eandem ſanguinis copiam ac in menſtruatione amitterent, catamenia non fluerent, hoc tamen non locum habet, verum omnia menſtruationis ſymptomata ſeſe clare obferunt, & menſes regulariter fluunt.

§. VI.

Cl. FREIND ſeptem accumulari ſanguinis drachmas in corpore feminino ſingulo die, ſpatio menſis plus viginti unc. facientes, ait, quod autopſia & ra-

(*) in feminis obeſis fibris laxis gaudentibus, cum aliquando catamenia fluant, parva ſolummodo ſanguinis copia, ſi ulla, expellitur, quia earum pinguedo largam ſanguinis evacuationem impedit.

(*a*) Sic Celeb. YOUNG apud Edinburg. art obſt. Prof. in prælectionibus ſuis caſum enarrabat feminæ, quæ. per V. S. amiſſis quadraginta ſanguinis unciis, paucis diebus poſt tempore ſtatuto menſtruavit.

ratiocinio contradicitur, dum temperatis in regionibus non magis quam quinque, ſex, vel ſeptem expelluntur unciæ, & ſi hoc locum habebat, nutritione ſolita impedita, accumulatio non fieri poterat, ergo non menſtruatio; attamen, nec irregularis diæta, (*b*) nec morbi (*c*) huncce fluxum impediunt.

§. VII.

Univerſalis plethoræ defenſores porro ajunt, quod in juvenculis omnia ingeſta, quæ quotidie ſumunt, ad corpus nutriendum tranſeant, ſi vero ad ακμην pervenerit virgo, natura ſanguinem ſuperfluum, quia cor-

(*b*) In diæta obſervandum eſt quod nonnulli dentur cibi, qui catamenia impediunt, & aliquando adeo obſtruunt ut nunquam rurſus prodeant: ſic e. g. in Scotia boreali ubi ſalmones frequenter ſunt in tabulis menſes fluentes nonnunquam exinde obſtructi ſunt. Et Cel. Young amicus & præceptor venerandus ſe noſſe feminam narrabat in qua ex uſu halecum dum menſes fluerent, catamenia adeo obſtructa fuerant, ut nunquam poſtea fluxerint, ſic quoque aliæ cujuſcunque generis piſces, ut etiam lac (teſte Cel. Young) dicto tempore non conveniunt. Irregularis vero diæta h. e. major vel minor carnis aut vegetabilium quantitas in menſtruxorum fluxu nullum facit impedimentum.

(*c*) Per morbos huncce fluxum non impedientes intelligo tales, qui non in partes ad catamenia producenda factas ipſas agunt: ſic e. g. nec inflammatio univerſalis, nec topica ſi non ſit partium genitalium, nec phthiſis, nec ſcorbutus menſtruum fluxum impediunt.

corporis nutritio minor eſt, quam in juventute, vaſorum uterinorum ope expellit: quod vero autopſia & ratiocinio contradicitur, virgo enim tredecim, quatuordecim vel quindecim annorum generaliter nondum ad ἀκμὴν pervenit: & mulierculæ plurimæ poſt catameniorum fluxum, menſibus licet fluentibus, quam maxime increſcunt; & quamvis quantitas differat, qualitas tamen ad catamenia propria ſpectanda eadem ac in adultis expellitur, de quibus poſtea fuſius tractaturus ſum.

Cur quæſo in feminis plethora fieret non vero in viris, dum ſyſtema ad plethoram formandam univerſalem in utroque ſexu idem eſt: & quod magis, tam femininum, quam maſculinum corpus certam poſſidet facultatem, quæ in ſtatu ſano impedit, ne juſto major ſanguinis quantitas in corpore generetur, & ne major chyli copia abſorbeatur, quam ad corpus nutriendum neceſſe eſt; & ſi neceſſitas requirat, corpus noſtrum ſolito majorem poteſt producere ſanguinis quantitatem, ſic e. g. ſi quis vel vulneribus vel quacunque ex cauſa magnam amiſit ſanguinis quantitatem, chylificatio & ſanguificatio au-

gentur, ſic enim in homine febre affecto, quique corporis ſui vires ſolitas atque robur amiſit, mox poſt febrem chylopoeieſis & hæmatopoeieſis major eſt, ut cito vires amiſſas recuperet, famelicus ſit, & inſtinctu automatico cibos quam maxime nutrientes ante alios comedere optat, ex quibus patet, quod tempore neceſſario, tam in virili quam in ſexu ſequiori, major ſanguinis quantitas ſecerni poſſit: feminæ ergo ad formandam plethoram univerſalem non viris ſunt aptiores.

§. VIII.

Si porro plethora menſes produceret, & ſingulo menſe unciæ quinque vel ſex ſanguinis in corpore feminino ſuperflue hærerent, mulieres primis graviditatis menſibus ſemper plethoricæ eſſent, dum illo tempore non unciæ unicæ pondus habet embryo: contrarium tamen locum habet, nam plurimæ ſaniſſime vivunt, quamvis aliæ graviditatis tempore plethoricæ fiant; hoc vero me judice conſuetudine fit, nam nonnullorum infantum matribus ſæpius quam primiparis contingit, & cauſa forſan in eo hæret; vel quia catameniorum tempore

ſin-

ſingulo menſe magnam ſanguinis copiam amiſerunt, vel quia aliis graviditatis temporibus V. S. aut propter cephalalgiam ex aliis fontibus originem habentem perverſe inſtituta & forſan repetita, aut malo matris ſuæ aliarumve feminarum conſilio præſcripta, & facta eſt; atque plethoram ex venæſectione oriri jam dudum axioma fuit, & conſuetudo multum in hiſce rebus valet.

§. IX.

Attamen palam fateor, ipſiſſimas etiam feminas per aliquot annos jam menſtruatas ſtatuto tempore plethoricas fieri, ſed id non ſolum ſexui ſequiori, verum etiam maſculino contingit: ſi e. g. ſingulis viginti octo diebus venæſectionem in viro inſtitues, ſingulo menſe juxta leges œconomiæ humanæ; plethoricus fit: ſic hæmorrhoides regulariter aliquando fluunt. Ut habet Hoffmannus dum ait (*d*). *Non ita pridem acceſſit ad me quidam hujus loci cauſarum patronus, trigeſimum ætatis annum ſuperans gracilioris quidem, ſed fibroſi corporis habitus, qui mihi apperuit, quod per quindecim, & ul-*

(*d*) Libro de doloribus & ſpaſmis extern. Sect. 2. Caſ. VIII.

ultra annos ſingulis fere menſibus, ſanguinis fluxum per ſedes expertus fuit, ad quem diſpoſita tota ejus familia ita, ut non ſolum pater & mater continuo hunc fluxum paſſi fuerint, ſed etiam in liberos, imo ipſas feminas circa annum duodecim, & decimum quintum, menſibus licet fluentibus idem iſte redundaverit. Sic quoque JUNCKERUS, qui præcepta STAHLIANA collegit ſequentia habet, *Notus eſt* (inquit) *vir qui per plures annos, die cujusvis menſis decimo octavo præciſe hæmorrhoides experitur, non obſtante, quod menſes numero dierum impares ſint.*

Sic etiam Celeb. Cullen apud Edinburgenſes praxeos Profeſſor præceptor venerandus in eximio ſuo opere (*e*) *Firſt lines of the practice of phyſic*, ait, *The tumors and discharges of blood in this diſeaſe* (*h. e. hæmorrhoides*,) *often recur at exactly ſtatet periods* (*f*)

Apud VAN WAGENINGEN (*g*) optimum quoque exſtat

(*e*) Part. 2. par. 895.

(*f*) Qui plura de hiſce legere cupit evolvat MARCELLUM, VESALIUM, Scurigium, Transactiones Phyloſophicas Londinenſes, STALP. VAN DER WIEL aliosque.

(*g*) Diſſertat. Inaug. de hæmorrhag. ſpont. pag. 10.

exſtat exemplum feminæ cujusdam adeo hæmorrhoidibus obnoxiæ, ut intra octo dies plus quam ſeptem vel octo ſanguinis libræ evacuarentur, & nihilominus paucis diebus poſt fluxêre menſes. Porro non deſunt exempla (*h*) feminarum, quæ jejunio & ſobrietate maximam ſanguinis partem amiſerant, & tabe marasmoque fere extenuatæ erant, in quibus tamen menſes regulariter fluxerunt.

Et RAMAZZINUS (*i*) ſequentia habet. *Mihi* (inquit) *certe non ſemel nec ſine magna admiratione obſervare licuit, mulieres diuturnis morbis confectas, & ad marasmum fere deductas ac præcipue nobilem monialem per decennium in lecto decumbentem prorſus exhauſtam, cui quolibet menſe ſtatis diebus menſes quamvis in ſatis modica quantitate, & ad paucas ſtillas apparent.*

Ex quibus omnibus mihi manifeſte patet, quod tam in corpore masculino quam feminino, ſi ſtatutis temporibus ſanguinis evacuatio fit, æque facile ac venæ

(*h*) VELDHUIZEN & CHARLETON apud Scurigium pag. 32 & 33.

(*i*) De morbis artificum pag. 316.

venæ ſectione plenitudo naſcatur, & quod ſanguinis fluxus in menſtruatione poſt aliquot tempus periodice continuatus, in œconomia feminina plethoram juxta haſce regulas producere debeat, & quod ergo non cauſa ſed menſtruationis ſequela, vel potius materiæ iſtius ſingularis effectus, eſt ſanguinis fluxus.

§. X.

De *Plethora topica.*

Contra plethoram topicam objectiones ſequentes facturus ſum. Quod ſpectat arteriæ aortæ ejusque ramificationum capacitatem. Capacitas arteriæ aortæ ejusque ramorum feminas inter & viros plerumque differt; Sed hanc quæſtionem jam partem ſolvit ſummus HALLERUS dum ait; *non mirarer valde adnotationem Cl. virorum, qui aortam inferiorem in feminis quam in viris ampliorem eſſe monuerunt, neque ad majores hypogaſtricis arteriis feminarum cognomines arterias animum adtenderem. Cum enim feminarum pelvis amplior & viscera pelvis*

(*l*) Elem. Phyſ. tom. VII. p. 162. part. II.

vis in femina majora ſint & uterus cum vagina plus requirat vaſorum, quam veſiculæ ſeminales cum proſtata, merito ob eam rem plus ſanguinis in pelvim mittitur, neque inde plethora naſcitur, cum eo major ſanguinis portio per majorem portionem partium organicarum dividitur.

Et differentia illa non menſtruationis tempore fit, ſed ab ipſa infantia, ab ipſa nativitate eſt & ad ultimum usque vitæ halitum perdurat, ſi hæc ergo eſſet cauſa, & filiolæ in ſtatu infantili, impubes æque ac vetulæ menſtruarent, & nulla periodus, qua producerentur, & ſuppremerentur catamenia, locum haberet.

Hallerus (*m*) Cl. Wintringhami experimenta in ovibus inſtituta ad plethoram uterinam demonſtrandam adfert.

Et concludit, *Nunc ex hisce omnibus ſequitur in feminarum aortam inferiorem majori celeritate ſanguinem advenire: ex arteriarum ultimis eundem ſangui-*

(*m*) Elem. Phyſ tom. VII. part. II. p. 163. - Cl enim Wintringham probaſſe putat, ovium femellarum arteriam aortam descendentem minori vi gaudere atque magis debilem eſſe quam illam maſculorum.

guinem per minores & denſiores pro portione venas difficilius redire; retineri ergo diutius in anguſtiis naſcentium venarum uteri: ſive uterum femininum ita factum eſſe, ut in eo facile plethora peculiaris naſcatur.

Contra quæ ſequenti modo argumentor: Cl. WINTRINGHAM in ovulis experimenta fecit non vero in feminis, atque nondum demonſtratum eſt, quin analogia hic inter genus humanum atque brutorum locum habeat: ſi ergo concluſio juſta eſſet facienda, oves ſanguinem de utero funderent, quod ipſiſſimis HALLERI obſervationibus contradicitur, dum in feminis res adhuc in dubio manet, quin in earum vaſis ſanguiferis eadem ſtructura ſit, nec ne; atque nonnullæ dantur feminæ ſanæ, multorum infantum matres, quæ nunquam menſes paſſæ ſunt, hoc eſt, quæ nunquam ſanguinem menſtruum de utero fuderunt.

§. XI.

Quod ad *valvularum abſentiam in venis uterinis:* Hoc quoque nil probat: non enim ſolum venæ uterinæ, verum omnes abdomine hærentes venæ valvulis carent; diſtantia enim inter cor, arteriam pri-

primariam, & venas uterinas adeo parva eſt, ut ſanguis facillime per illas vi nempe tam valida cordis & ſyſtematis arterioſi propellatur, dum e contra in extremitatibus vis propellens minor eſt, arteriæque minores, columna ſanguinis longior, & ejus reductio contra leges gravitatis fit.

§. XII.

Quod ad preſſuram, poſitionem, & calorem uteri, nullæ venæ minori gaudent preſſura, quam venæ plexum choroides in cerebro facientes, non tamen ibi accumulatio contingit.

Quod ad *poſitionis* differentiam uterum inter animalem & humanum; nec in animalibus nec in hominibus juxta leges hydraulicas functiones explicari poſſe, phyſiologis notum eſt: & licet poſſent: ipſa catamenia ſub ſitu ſupino bene fluunt, & quidem in amenorrhæa optimum horizontalis ſitus præbet remedium. (*n*) Porro ægrotæ per menſes lecto affixæ æque facile menſtruant, ac aliæ ſitu perpendi-

(*n*) Quod optimo cum ſucceſſu in noſocomio Edinburgenſi ſæpiſſime vidi.

diculari uterum gerentes: Cl. enim de Plaigne in Diario Gallico hiſtoriam communicavit ſomni ſingularis per duos annos continuati, paucis intervallis exceptis in virgine quadam, cui tamen menſtrua omni tempore, & ſub ipſo ſomno recte fluebant, & ipſemet novi feminam catalepſi laborantem & fere ſemper lecto affixam, quæ tamen menſes de utero fundebat.

Quod ad *calorem:* calor uterinus non aliis C. H. partibus major eſt: thermom. enim Fahren. feminæ ſanæ utero immisſum, ſi femina hisce irritationibus non ſtimulo ad venerem (*o*) afficiatur, calorem naturalem non ſuperat (*p*).

§. XIII.

Plethoræ, tam univerſalis, quam topicæ, defenſores porro ad plenitudinis ſyſtema probandum adferunt, quod in corpore feminino major requireretur ſanguinis copia, quia graviditatis tempore fœtus

(*o*) Dum femina œſtro venereo afficiatur, partes genitales ſanguine intumeſcunt (teſte Hallero) majori ergo ſanguinis impulſu calor naturaliter ibi major fit aliis partibus.

(*p*) Teſtante Cel. Young in dictis praelect.

tus nutriendi neceſſitas erat, & quod NATURA plenitudinem illam, femina non gravida, faceret ut ad embryonem nutriendum omni tempore paratæ eſſent mulierculæ: ſi autem omnia, quæ in ſexu ſequiori obſervantur, accurate perſpiciamus, hancce regulam parum cum NATURA quadrare experiemur. primo nempe graviditatis tempore non unicæ unciæ pondus habet embryo non ergo tunc quinque vel ſex, vel ſeptem uncias, quæ juxta plurimorum phyſiologorum opiniones expelluntur, indigeret: imo totum regnum animale viviparum frequenter concipit, fœtus ſuos ſine ullo detrimento, etſi menſibus deſtitutum parit, ſi ergo plethora ad fœtum nutriendum adeo eſſet neceſſaria, cur ſapientiſſima NATURA totum regnum animale (feminis quadamque ſimiarum (*p*) ſpecie exceptis) catamenia negaviſſet, & quidem in feminis valentibus nonnullis, inter

(*p*) Nonnullas dari limias quibus menſes fluunt teſtantur LINNÆUS *Swetensk Acad. handling* 1754. PEIRESCIUS, SANTORINUS, STAHL. p. 770. Cel. HOME præceptor meus aliique, iu E. N. C. Dec. III. anno 9 & 10. obſ. 217. Quod quoque KOLBE ipſe vidit. *Beſchryving van de Kaap de goede Hoop* p. 166. ſic quoque alia animalia nonnunquam ſanguinem fundiſſe per genitalia vel partes illis adjacentes, apud HALLERUM videndum eſt.

ter quas inveniuntur matres, aliquando ſanguinis illius evacuatio locum non habet: imo integræ nationes exſtare dicuntur, quarum mulierculæ non ſanguinem de utero fundunt; (*q*) ſic integram femellarum regionem apud Tapyias in Braſilia per totam vitam catameniis deſtitui ajunt: idem quoque aliquando in Anglia & Scotia contingere ex ſequentibus patebit: & in noſtris regionibus, in noſtra Belgia (*r*) ſimilia exſtant exempla.

Ex quibus prægreſſis mihi manifeſte patet nec plethoram univerſalem nec topicam veram menſtruationis eſſe cauſam.

(*q*) Charleton de cauſis catamen. cap. iv. p. 39. Astruc *Traité des maladies des femmes, tom. 1. p. 51.*

(*r*) Stalp. van der Wiel cent. poſt. part. prior. obſ. 31. Solingen ampt en pligt der Vroedvrouwen pag. 4. ait „ *andere kraamen alle jaaren zonder dat ooit of ooit ſtonden hebben gehad, kenne zodanige vrouwen hier in den Hage.*

SECTIO QUARTA.

Noſtrum de fluxus menſtrui origine ſyſtema.

§. I.

Plethoræ aliorumve ſyſtematum impoſſibilitate, ni fallor, demonſtrata, noſtram de catameniorum cauſa opinionem daturus ſum. Ut apud mares teſticuli, ſic apud feminas ovaria, (veteribus feminarum teſticuli dicta) in ſexu masculino illorum ope ſemen ſecernitur, cujus ſecretionis defectus in corpore virili mirabilem effectum producit; masculus enim non ſolum ſtimulum ad venerem amittit, verum totum corpus mutationem quamdam ingentem ſubit, barba creſcere deſinit, vox mutatur, omniaque eunuchi phænomena, teſticulis exſcisſis, ſeſe clare obferunt, & magis in femineam ſpeciem tandem propendet, atque exinde neutrum quoddam nec mas nec femina naſcitur.

Sexus ſequior ovariis diſſectis eandem fere muta-

tationem ſubit, (*) ut patet, teſtante SPACHIO, ex ruſtici exemplo, qui filiæ ſuæ propter laſciviam opus ruſticum negligentis ovaria exſcindebat, ſed clarius ex Ill. POTTII ſcriptis par. 10. adferendis. Sic quoque Tapuyæ feminæ tempore pubertatis inciſionibus filias ſuas per femora lacerant, & ita a menſium periculo liberant, ut per totam vitam nullos patiantur (*a*): nonne forſan hæ mulierculæ ovaria adeo vulnerarent, ut hæc organa non ſuas exercere poſſint facultates?

§. II.

(*) Ut etiam ex RIOLANO Anthropog. lib 2. Cap. 35. JOH. G. SIMON de impotentia Cap 3. p. 66. THOM. BARTHOLIN Epiſt. Med. Cent. 3. Epiſt. 64 p 260. Sic etiam ait „ CREOPHAGI, gens ita appellata in Arabia teſte ALEXANDRO ab „ ALEXANDRO non viris ſolum teſtes ſed etiam feminis ovaria „ exſcindebant ad exemplum Ægyptiorum. qui mulieres eodem „ modo caſtrare ſolebant". Sic quoque JOH WIERUS lib. 4. de Malef. affect. C. 20. p. 327. exemplum narrat viri cujusdam, qui propriam filiam caſtrabat, JOH. VAN ESSEN (inquit Wierus) *pecorum caſtrator. ubi quemdam familiarius conjunctiusque ſua frui filia animadverteret, ita incitatus eſt ut eam caſtraverit: ſic etiam* Cl. WEDEL *Phyſ. Sect. 3. Cap.* 28. 195. *quemdam porcorum caſtratorem in diœceſi Bambergenſi propriam ſuam filiam caſtraſſe, ut ſecnrius cum illa libidinem nefandam exercere poſſet; qui etiam eam ob cauſam tandem per ignem cum filia ſua hujus criminis pœnas luit.*

(*a*) HALLER. in prælect. ad BOERH. tom. 5. part. 2. pag. 40.

§. II.

Ovariis ergo exſciſſis, ad ſtatum virilem propendet femina; ex quibus patet, quod hæc organa non ſolum ad generationem, verum etiam ad ſexus differentiam obſervandam quammaxime pertineant. Hiſce perſpectis operam impendi, ut obſervationibus, diſſectionibus, atque mulierum morbis, quid in corpore feminino catameniorum tempore fieret, invenirem; & obſervavi, materiam quamdem peculiarem ovariorum ope ſecerni, atque ad uterum transferri, ipſamque materiam menſes producere, & fluxum menſtruum regularem cum peculiaribus menſtruantium ſymptomatibus conjunctum non ex ſanguine catameniorum tempore expulſo originem habere, ſed effluxum ſanguineum materiæ illius expulſæ ſequelam eſſe.

§. III.

De materia quadam peculiari ovariorum ope ſecreta.

Quod materia quædam in ovariis mox ante menſtruationem hæreat, ex ovariis eo tempore ſemper majorem capacitatem habentibus, & ex eorum collapſu, menſibus fluxis, mihi clare patet; quæ materia,

ria, ſi non expellatur, ſed in ovariis maneat, nonnullos producit morbos (*b*), de quibus alio loco agendum eſt. Ex inſpectu ovariorum feminarum ante & poſt fluxum menſtruum mortuarum, ex illius fluxu catameniorum tempore, ex phœnomenis, quæ utero obſtructo in corpore producit, atque ex illius effectu, ſi non juſta per loca tranſeat, & Natura ſeſe per alias vias exoneret, materiæ illius exiſtentia mihi manifeſte patet.

§. IV.

Si enim feminam ſanam mox ante menſtruationis fluxum mortuam cultro diſſecas anatomico ovaria, & quammaxime ovula ſolito majora, & materia quadam alba ſpiſſa ſemini virili non abſimili impleta invenies; ſi vero feminam mox poſt catameniorum fluxum mortuam diſſecas, ovaria capacitate minora, ovulaque perparva, & materia illa carentia invenies.

Ex quibus mihi probabile videtur, materiam illam ovariorum ope ex ſanguine vaſis ſpermaticis ad-

(*b*) Unde me judice hyſteria multique alii mulierum morbi oriantur, de quibus alio tempore, quando de ovariorum morbis tractaturus ſum, fuſius loquar.

adducto ſecerni, quæ menſium tempore propter rationes poſtea dicendas expellitur.

Quod plethora non ſit in menſtruatione ſanguinis expulſionis cauſa; neque neceſſarium ſit, ut ſanguis cum catameniis expellatur, ex illis, quæ de plethora univerſali dicta ſunt, facile intelligitur.

§. V.

Hæc materia in ovariorum ovulis forſan accumulatur, & ſingulo menſe ad uterum propellitur; ad illius ſubſtantiam nempe peculiarem (de qua GALENUS ait, quam cum videret, mereri exiſtimavit, ut hymnos JOVI caneret, quod tam mirabilia ſibi contigiſſet videre,) quæ vaſorum ſanguiferorum congeries eſt; quæ in virgine & femina non gravida, neque matre corpus videtur homogeneum: in gravidæ vero utero vaſa ſanguifera quammaxime diſtenta clare obſervantur.

§. VI.

Si vero via uterina, per quam materia hæc naturaliter expelli debet, obſtruitur, vel magis minusve materiæ illius expulſio impeditur, in ſanguinis maſſam abit multaque producit phænomena

feminis illo tempore familiaria, ut oris halitus ſingularis fit odoris, ſaliva peculiari ſapore afficitur, dentes (*c*) artificioſi ex ebore fabrefacti flavo vel ſubnigro tinguntur colore, oculi ſplendorem amittunt, & iridis adinſtar ſemicirculus lividus ab oculi cantho ad dimidiam ejus in inferiori parte ſeſe obfert partem, femina tunc moeſta, & quaſi hilaritate deſtituta videtur: omnia hæc phœnomena antecedit quidam inſolitus partium genitalium internarum non ſpasmo diſſimilis dolor, quæ ſymptomata ſub menſium fluxu, ſi catamenia per naturalem viam poſtea fluant, vel alioquin per alias expellantur vias, imminuuntur, tandemque evaneſcunt: attamen illo tempore febricula quadam ſingulari vibrationibus quibusdam conjuncta feminæ affi-

(*c*) Novi Londini matronam pluries odontalgia laborantem, & multis jam locis dentibus carentem, aliisque corruptos habentem: omnes evellebantur, aliique ex ebore fabre facti illis ſubſtituebantur, qui ad catameniorum tempus albiſſimi manebant: tunc vero una nocte, & quidem mox ante menſium fluxum decolorati, & fere nigri evadebant, quod plerumqueomni menſe, ſtadio nempe, quo Naturæ debita ſexus ſui ſolvebat, contingeret, ita, ut illos tempore dicto eximere & depurare cogeretur, catameniis autem non inſtantibus per totum menſem usque ad menſtruationis periodum colorem ſuum naturalem retinebant.

afficiuntur, quæ deſcriptu difficilis, homini pulſum examinare conſueto facillima ſentitu eſt.

§. VII.

Multi fuerunt, qui ſanguinem menſtruum venenatum eſſe putarunt, inter quos Plinius ejusque aſſeclæ & nonnulli recentiorum eandem opinionem amplexi ſunt, ut videndum eſt apud de Graaf (*d*) qui ſequentia habet, quod ſaepiſſime, ſi vir cum femina menſtruante coitum exercet, penis vel excorietur, vel dolore ſaltem afficiatur; teneram vitem, vel tenellos arbores ſi ſanguine menſtruo afficias, vel ſolummodo tangas in perpetuum lædas, & ſteriles facias; ſpecula metallica, & ebur halitu feminæ menſtruantis tacta ſplendorem ſuum amittunt; ſi caro halitu mulieris menſtruantis afficiatur certum quemdam putredinis gradum acquirit; ſanguinis hujus guſtus canes in rabiem agit; ſi homini des diris cruciatibus affligitur, pilorumque tandem effluxum, multaque elephantiaſeωn vitia adfert.

De Lamotte (*e*) vero generaliter negat mulier-

(*d*) Quamvis ipſe ait ſanguinem menſtruum eſſe purum.
(*e*) Traité complet des accouchemens, tom. I. c. iij. p. 27.

lierculas illo tempore eſſe impuras, particulariter tamen affirmat, de feminis nempe crinibus] rubris gaudentibus, quas menſium tempore impuras eſſe putat, dum inquit. *Je vois journellement des filles & des femmes, qui vont par tout, & font toutes choſes, quand leurs ordinaires coulent, ſans qu'elles cauſent aucune perte ni dommage, mais j'en vois auſſi, dont la preſence eſt à craindre, quand elles ſont en cet état, particulierement les rouſſes. J'avois une ſervante de cette eſpéce, un jour que je donnois à dejeuner à pluſieurs de mes amis, elle alla tirer d'un vin blanc, qu'ils trouvérent excellent: le lendemain m'étant trouvé à dejeuner chez un de ceux, qui s'étoient trouvés chez moi, & qui ne n'avoit pas de vin blanc, j'envoyai querir du mien: mais il étoit ſi gâté, que perſonne n'en put boire, & il ne me ſervit, qu'á faire du vinaigre: cette même ſervante aida quelque tems à ſaler une partie d'un cochon, cette partie fut gâtée, & l'autre, qui fut ſalée par une autre perſonne, ſe trouva très bonne: mais s'il y à des femmes, dont l'approche eſt dangéreuſe, pendant qu'elles ont leurs ordinaires, il y à encore un plus grand nombre, dont l'approche n'eſt*

n'eſt pas plus á craindre, dans cette tems la, que dans toute autre.

Columba quoque (teſte Swietenio) ſcripſit, ultimum remedium eſſe, aliis incaſſum tentatis, ad necandas erucas hortis adeo noxias, ſi menſtruans femina, nudis pedibus, aperto ſinu, & reſolutis capillis ter circumiret areolas & ſepem hortorum: tunc enim

——— ——— ——— ——— *Mirabile viſu*
Non aliter quam decuſſa pluit arbore nimbus.
Aut teretis mali, vel tectæ cortice glandis
Volvitur ad terram diſtorto corpore Campe.

§. VIII.

Fabuloſas catameniorum narrationes præcedenti §. adlatas fictas eſſe, homo ſanæ mentis clare percipit: attamen illa quæ §. 6to. ſunt dicta in corpore feminino aliquando contingunt, & quod non omnibus, nec iisdem feminis ſingulo menſe ſymptomata §. 6to. adlata ſeſe obferant, ex ſequentibus patebit.

Si materia ovariis ſecreta mox uteri ope expellatur, & non in ſanguinis maſſam transferatur, effe-

tus §. 6°. deſcriptos forſan non producit: (*f*) quia tamen conſtrictio ſpasmodica frigore, animi pathematum affectione, vel quacunque ex cauſa producta, in utero obſtructionem producit, phœnomena §. 6ſte. ſeſe obferunt; quia tunc materia deſcripta in ſanguinis maſſam abit: &, dum corpus femininum valdequam irritabile eſt, & quidem catameniorum tempore, cœterum majorem poſſidet irritabilitatem, ſymptomata illa non raro contingu. ; hæc forſan quoque cauſa eſt, cur veteres, feminas menſtruantes nunc puras, nunc eſſe impuras, exiſtimaverint.

§. IX.

Ex prægreſſis ergo patet, quod corpus femininum catameniorum tempore aliquando ſingularem quamdam mutationem ſubeat (g). Et hujus ſeculi

(*f*) Aliquando tamen effectus multo pejores ex menſium obſtructione oriuntur. Vid, Med. Eſſays vol. V. part. 2. pag. 471. — Quem caſum Swietenius pag. 418. tom. 4. ad par 1285. etiam deſcripſit. Ejusdem generis exempla quoque exſtant in Act. Erud. ann. 1726. p. 525.

(*g*) Sic ait quoque Swietenius „ *Mutationem quamdam ſubeunt menſium tempore adeo, ut epilepſia, aliique morbi fere incurabiles menſium fluxu curentur. Noverunt (inquit porro vir ſummus) tunc medici mutari plura, ſed nemo hactenus evidenter explicuit, quemodo hæc mutatio fieret.*

culi phyſiologus quidam primarius de hiſce agens ait. *Antiquorum opinio probabilitatem quamdam haberet, ſi non contradiceretur, quia fœtus ſanguine menſtruo nutriri debet, & ſi catamenia tales in corpore feminino effectus producerent, fœtus tenerrimus atque debilis, qui omne nutrimentum ex ſanguine habet, primis graviditatis temporibus, multa damna exinde acquireret, plurimique embryones eo modo interficerentur, quod contra ſummi Numinis bonitatem repugnaret.* — Verum poſtea demonſtrare conabor, quo maneat materia hæc graviditatis tempore, & quod tunc fœtu non abſorbeatur: ſed Natura, quæ ſapientiſſime totum conceptum dirigit tunc temporis alias invenit ad expellendam materiam illam vias: porro hujus materiæ utilitatem non ſolum humano generi, verum quadrupedibus ab illa ſapientiſſima magiſtra datæ explicare intendam.

§. X.

Illis, quæ ante & poſt fluxum menſtruum in ovariis ovuliſque contingunt, deſcriptis, porro notandum eſt: ſi ovaria exſcindantur, quod tam ani-

malia (*h*), quam feminæ non ſolum ſteriles fiant, atque appetitum venereum amittant, ſed ipſiſſimæ menſes, quæ in mulierculis antea regulariter tam quantitate quam qualitate fluxerunt, fluere deſinant, & totaliter obſtruantur, & nec plethora nec alii morbi exinde oriantur. Ne antiquorum auctorum, qui de hiſce etiam mentionem fecerunt, auctoritate nitar, recentis cujusdam ſcriptoris, viri in arte Chirurgica celeberrimi auctoritatem adferam. Clar. nempe Percivall Pott (*i*), apud Londinenses Chirurgus primarius ait. *A healthy young woman, about twenty three was taken into St. Bartholomeus hoſpital on account of two ſmall ſwellings, one in each groin, which for ſome months had been ſo painfull, that ſhe could not do her work as a ſervant!*

The tumors were perfectly free from inflammation, were ſoft, unequal in their ſurface, very moveable, and lay juſt on the outſide of the tendinous opening in each of the oblique muſcles through which they ſeemed to have paſſed:

The

(*h*) Teſtibus Bartholino. Scurigio, aliisque.
(*i*) Pott's Works Edit. Ultim. Vol. 3. pag. 329. de herniis Ovariorum agens.

The woman was in full health, large breaſted, ſtout, and menſtruated regularly, had no obſtruction to the diſcharge per anum, nor any complaint, but what aroſe from the uneaſineſs theſe tumors gave her, when ſhe ſtooped or moved ſo as to preſs them.

She was the patient of MR. NOURSE. *He let her blood, and purged her, and took all poſſible pains to return the parts through the openings, through which they had clearly paſſed out.*

He found all his attempts fruitleſs, as did Mr. SAINTHILL, *and my ſelf, and the woman being incapacitated from getting her bread, and deſirous to ſubmit to any thing for relief, it was agreed to remove them.*

The ſkin and membrana adipoſa being divided a fine membranous bag came into view, in which was a body ſo exactly reſembling a human Ovarium that it was impoſſible to take it for any thing elſe, a ligature was made on it cloſe to the tendon, and it was cut off. The ſame operation was done on the other ſide, and the appearence, both at the time of operating, and in the examination of the parts removed were exactly the ſame.

She

She has enjoyed good health (*) *ever ſince, but is become thinner, and more apparently muſcular: her breaſts, which were large, are gone, nor has ſhe ever menſtruated ſince the operation, which is now ſome years* (*k*).

Sic quoque Celeb. CULLEN ait, quod ovaria ad producendos menſes quammaxime ſint neceſſaria ſed quamnam utilitatem hæc organa adferant ſe neſcire tam ſcriptis (*l*) quam lectionibus ſuis, anno præterlapſo habitis, palam fatebatur.

§. XI.

(*) GEORG. FRANCUS Lib. a Satyr. 2. dicit: *novi nobilem matronam, cui puellæ per injuriam externam vulnus obtigit in regione pubis, huic teſtes auferebantur, quæ cætera ſana hactenus ſterilis permanſit.*

(*k*) Quia forſan omnes hancce diſſertationem legentes Anglicum idioma non intelligunt ſenſum auctoris breviter tradam „ femina quædam ſana viginti trium annorum rite menſtruans & mammis largis gaudens ovariorum herniis afficiebatur, quæ exſcindebantur, quibus exſciſſis ſana remanſit, ſed magis muſcularis eſt facta, atque mammæ, quæ antea magnæ, & largiter intumeſcentes erant, totaliter ſunt collapſæ, & quaſi evanuere, atque nunquam rurſus poſt operationem menſtruavit femina, neque ullum incommodum exinde habuit.

(*l*) Firſt lines of the practice of phyſic part 2. per. 967 — 968. As a certain ſtate of the ovaria in females prepares and diſpoſes them to the exerciſe of venery about the very period at which the menſes firſt appear, it is preſumed that the ſtate of the ovaria and of the uterine veſſels

§. XI.

Nonnullæ porro inveniuntur feminæ, quæ menſibus carere dicuntur, hoc eſt illis non fit evacuatio ſanguinis rubri, & tamen quædam illarum matres ſunt; multum laborem impendi, ut, quid illis fieret, obſervarem; tres illius naturæ feminas vidi: una ſic dicto fluore albo (*m*) laboraſſe dicebatur, cujus fluxus ſtatutis periodis redibat: aliæ ambæ ſingulo menſe menſtruantium feminarum phænomena in ſe obſervabant, & nunc per diarrhæam (*n*), nunc

ſels are ſome how connected together; and as generally ſymptoms of the former appear before thoſe of the latter, it may be preſumed that the ſtate of the ovaria has a great ſhare in exciting the menſtrual flux.

We are of opinion, therefore, that the retention of the menſes is to be referred to a certainſtate or affection of the ovaria; but what is preciſely the nature of this affection, or what are the cauſes of it, I. will not pretend to explain, nor can I explain in what manner that primary cauſe of retention is to be removed.

(*m*) Celeb. Young in artis obſtetr. prælectionibus ſuis de morbis mulierem agens dicebat: quod aliquando obſervaverit, fluorem album menſium loco fluxiſſe. Idem etiam obſervavit Cl. Storkius.

(*n*) Natura ipſa eo modo feminas tunc curat, quod ſagax medicus medicamentis eccoproticis alioquin facere oportet: Hippocr. enim de mul. morb. l. I. c. vj. Chart. tom. vij. p. 732. jam monuit. *Si vero menſes omnino non prodeant, pro*

nunc per urinam turbidam & ſpiſſam; ut ſæpius obſervavi, aliquando tamen per uterinum fluxum album, menſtruationis ſtadium finiebatur; prima unius filii mater erat, & duos abortus produxerat; altera duos filios unamque filiam, atque tertia unam filiam in lucem ediderat, & quando LONDINO valedixerim gravida erat: omnes hæ feminæ ſaniſſime alioquin vivebant; ſed fere cuncta menſtruantium phœnomena; cum febre virginali conjuncta, catameniorum tempore ſeſe clare obſerebant: attamen omnes aliquando materiam quamdam menſium tempore (hoc eſt dum menſes fluere oportebant) per uterum expellebant; & cum SWIETENIO dicere audeo, feminas cunctas nullam materiam de utero fundentes eſſe ſteriles: idem quoque LINNAEUS obſervavit apud LAPPONES: omnes enim (inquit) quae totaliter catameniis carebant, ſteriles (*o*) erant.

§. XII.

---

pro morbo craſſi, lenti & glutinoſi redduntur: inprimis igitur (inquit) ventrem ſurſum ac deorſum tunc purgare oportet.

(*o*) Sic ait quoque HALLERUS Elem. Phyſiol. tom. VII. p. 140. *celerius autem ut nubiles fiunt, ita ſterileſcunt calidarum regionum feminæ, & eum ſteriles fiant, credes menſes amittere, uti contra in frigidis ſerius menſes emanent.*

§. XII.

Nunc de ſecretione hujus fluidi dicendum eſſet: verum antequam de hiſce loqui poſſumus ovariorum ſtructuram intimam cognoſcere neceſſarium eſt.

Reſpectu horum organorum fabricæ notandum eſt, quod ovula (*p*) tam in matrum, ac puellarum & virginum ovariis, quod nervi, vaſa ſanguifera, lymphatica, ipſis ovulis ſeſe inſerentia inveniantur, quod corpora lutea poſt partum ovulorum loca occupent, vel potius quaſi fœtus excluſi reliquia remeneant.

Ex diſſectionibus feminarum ovariorum morbis mortuarum, atque ex inſpectu ſanorum ovariorum tam fœtuum, quam virginum, ac matrum, & in ſtatu ſenili, quamvis quod ad ipſa ovula lucem quandam acce-

(*p*) In puellarum duorum annorum ovariis ipſa ovula plus ſemel inveni, quæ tamen perparva: idem mecum vidit Ingenioſus Amicus H. van Weerden: Med. Cand. Et in Muſeo anatomico ſummi Viri A. Monroi praeceptoris atque amici venerandi praeparatum quoddam vidi, ubi ovula multa in infantis ovario clare demonſtrabantur.

Hallerus dicit *in foetu ovula nondum reperi.* Verum in Octo menſium embryonis ovario puncta ovula futura demonſtrantia ipſemet obſervavi.

cepi, nil certi ovariorum parenchumatis reſpectu dicere poſſum.

Quomodo ergo ſecernatur materia non determinare valeo, atque forſan æque ac aliæ ſecretiones, & præcipue, ac ſeminis virilis inter Naturæ miracula manebit: & nunc de ovariorum Phyſiologia tacebo, alio autem tempore, quando de ſtructura atque connectione horum organorum loquar, hancce rem paulo fuſius tractaturus ſum: nunc autem primo de menſium fluxu in feminis non gravidis, & porro in gravidis loquendum eſt, atque tandem eorum utilitatem explicare conabor.

§. XIII.

De fluxu menſtruo in puellis atque feminis non gravidis.

Si humanum genus ad pubertatem pervenerit ambo ſexus mutationem quamdam ſubeunt, in ſexu virili muſculi fiunt magis elaſtici, loquela fit gravior, barba vel increſcere incipit, vel ſigna futuræ barbæ ſeſe obferunt, ad partes genitales externas pili prodeunt, genitalia ipſa intumeſcunt, ſtimulo venereo maſculus afficitur, & ſemen (modo nobis incognito) ſe-

ſecernitur, atque invito corde pollutionibus nocturnis gratiſſimis in ſomniis expellitur, & plura alia pubertatis ſigna ſeſe obferunt.

In virgine vel ſexu ſequiori muſculi juſto flaccidiores juxta pubertatis tempus fiunt, loquela fit dulcior, atque mollior, mammæ ſeſe extendunt, partes genitales pilis (*q*) ſcatere inchoant, non tamen tanta quantitate, quam in ſexu virili; inſolito ſtimulo afficitur puella, menſes porro fluere incipiunt, atque æque at maſculus gratiſſimis gaudet ſomniis tenera virgo: imo totum fere corpus mutationem quamdam ſubit, oculi igniculis venereis fulgent, genæ roſeo colore tinguntur, dum amor, pudorque animam ipſam non intactam manere abunde probant.

§. XIV.

Ex par. præced. ergo patet, quod fere eodem tempore phœnomena in ſexu differenti toto cœlo a ſe

(*q*) Aliquando vero pili in prima infantia prodeunt. Diſſecui Parisiis puellam duorum fere annorum, in qua mecum partium genitalium pilos obſervavit amicus intimus H. van Weerden Med. Cand. Mihi narrabat amicus A. van Ringh ſe idem vidiſſe cum ſeſe ſtudiis medicis Argentorati incubuerit.

ſe invicem differentia, ad eundem ſcopum, ad generationem nempe promovendam inſervientia ſeſe obſerant: in mare fit ejaculatio ſeminis, in ſexu ſequiori catamenia fluunt.

Quid vero menſium tempore in corpore feminino contingit? Dolor quidam internus ad lumbos præſertim in puellis nondum menſtruatis obſervatur, mox poſt crurum laſſitudinem, & in regione uteri inſolitas quasdam contractiones mulierculæ juniores obſervant, & tandem materiæ albi coloris expulſione, ſi Natura benigniſſima ſit; paroxiſmus finitur: ſi vero non tam fauſte faveat ſapientiſſima illa magiſtra, cephalalgia, appetitus remiſſio (*r*), nau-

(*r*) Hallerus in Elem. phyſ. tom. 7. part 2. p. 157. ubi de Symptomatibus, quæ menſibus ſuppreſſis, ſuperveniunt, loquitur, inquit, *ad corruptionem ſanguinis in utero ſtagnantis, & poſt aliquam acrimoniam conceptam in venas repulſi referas appetitum deſtructum &c.* Quin vero ſanguis ſtagnans in utero corrumpi poſſit absque producendo in organo illo effectus pravos, valdequam dubito: & cujus naturæ eſt acrimonia illa? nonne probabilius eſt, materiam §. 6ti. deſcriptam id efficere; ex quibus tamen clare videndum eſt, Hallerum repulſionem ſive retroitum materiæ cujusdam admittere, quæ ad ventriculum propellitur; materiam vero, quæ effectus illos producit, acrimoniam quamdam ex corrupto ſanguine ſtagnanti vocat.

nauſea languor, aliquando vomitus, & ſpasmodicæ contractiones colicam ſimulantes cum febre (s) particulari virginea dicta, & plurimis, par. 6°. deſcriptis ſymptomatibus concurrunt, & teneram violenter cruciant puellulam, tandemque vel ipſa expulſione materiæ albæ per partes genitales; vel per vomitum, uropoieſin, vel alias vias mulierculæ juniores ſexus ſui debita ſolvunt: hoc primis menſibus, aliquando primo anno, aliquando duobus primis fit annis, poſt illud tempus plerumque materiæ ſanguineæ fluxus albi coloris materiæ expulſionem ſequitur, qui adeo increſcit, ut poſt aliquod tempus ſanguis; vel immediate cum materia menſes producente, vel mox poſt, magna quantitate expellatur, unde perverſe phyſiologi ſanguinem iſtum pro ipſiſſima habuerunt menſium cauſa: & ſanguis, poſtquam menſes per aliquot tempus fluxerunt, naturaliter cum materia illa expelli

(s) Hancce febriculam obſervarunt Freindius, Sauvagesius aliique, & Hallerus illam virginalem vocat dum ait, *Inter mille feminas vix una reperitur, quæ ante primos menſes non febricitat; & quæ non febricitat, laſſitudinem in toto corpore percipit.*

pelli debet, quia per vaſa ſanguifera, propter rationes poſtea dicendas, fluere oportet: ſed quod non neceſſaria ſit ad menſtruationem peragendam ſanguinis expulſio, ex feminis, menſibus albis parva quantitate (*t*) gaudentibus, ex puellarum primis fluxionibus, & ex illis, quæ in climate frigido fiunt, ut quoque ex catameniorum obſtructione (*u*) fe-

(*t*) Sic habet SWIETENIUS §. 1284. dum ait: *Sæpe enim obſervatur mulieribus, quæ menſtruis carent, ſtata periodo non ſanguinem, ſed tenuioris humoris aliquam copiam effluxiſſe; forte & talis uteri conditio adeſt in feminis lactantibus, quas aliquoties concepiſſe novi, licet menſtrua non rediiſſent poſt puerperium.* Et paulo poſt ſequentia habet. *In nutricibus aliquoties obſervatur menſtruorum loco aliquid ſeroſi albicantis de utero fluere.*

(*u*) Quod cataminiis ſubito obſtructis per alias vias materia deſcripta aliquando expellatur, antea jam dictum eſt; ex multis unicum ſolummodo adferam exemplum quod mihi EDINBURGI contigit anno 1779. — ANN. MACDONALD ætatis 24. nupta, unius filii mater, menſibus fluere incipientibus, die ſabbathis menſis Decembris templum petiit, quo frigore adeo afficiebatur, ut exinde ſtatim menſes obſtruerentur: hora nona ante meridiem die Lunæ conſilium meum petebat, de vehementi dorſi dolore, cæphalalgia, nauſea, languore, & ſiti conquerebatur, pulſus erat ad 75. & menſtruantium adinſtar, lingua ſicca, perſpiratio plus minusve impedita, alvus conſtricta: præſcripſi enema ex decoct. hord. ol. oliv. & ſale neutro quodam, nulla vero alia dedi medicamenta, ut, quid Natura faceret, viderem. Hora tertia poſt meridiem non parvam albi coloris ſpiſſam evomit materiam, hora nona aliam ejusdem generis vomitu expulſit materiam: pedes-

femina non gravida, & ex illis, qnæ exinde ſequuntur, manifeſte patet.

Et quod plethora, quæ aliquando poſt nonnullos fit annos, in feminis valentibus menſtruationis ſit conſequentia, ex illis, quæ de plethora univerſali dicta ſunt, facillime intelligitur.

§. X V.

Via uterina obſtructa, materia deſcripta in ſanguinis maſſam abit, & effectus par. 6[ti]. producit; Natura vero, quæ in adminiſtratione rerum ſuarum valde benigna eſt, & quammaxime in illis, quæ ad regnum animale pertinent, alias ad materiam illam expellendam invenit vias: tunc enim, vel per

---

des foveri jubebam, illa nocte bene dormiebat, altera die optime valebat, ſapore quodam peculiari, qui quaſi æreus erat (ut feminæ verbis utar) pro duobus diebus ſolummodo remanente: nulla prorſus uſurpavit medicamenta, nec ullam poſt obſtructionem ſanguinis amiſit guttulam, ſed e contra die mercurii carnis bovillæ (vulgo beafſtake dictæ,) fere pondus cum ſufficienti quantitate panis comedit, & poſtea bene valere perrexit. An non materia ovariis ſecreta, quæ propter matricis obſtructionem per uterum non expelli poterat in ſanguinis maſſam regurgitavit, omniaque ſymptomata modo deſcripta porduxit, & tandem vaſis gaſtroepiploicis expulſa feminam curavit?

per vomitum, (*v*) vel uropoieſin (*w*) vel diarrhæam, (*x*) vel forſan per ſudores aliquando materiam illam expellit.

§. XVI.

(*v*) Ut patet ex illis, quæ par. præcedenti in nota dicta ſunt, quorum forſan millia exempla ſingulo anno contingunt.

(*w*) Sæpe vidi feminas quarum menſes obſtructæ erant de doloribus dorſi vehementer conquerentes, quæ urinam juſto majori copia, & ſedimento albo ſpiſſo gaudentem expellebant, qua expulſa, ſymptomata mitigabantur, & feminæ duarum dierum ſpatio, absque ullius ſanguinis guttulæ amiſſione convaleſcebant.

(*x*) Hallerus in prælect. ad Boerh. ait, *aliquando etiam ſalivatio, aut diarrhæa menſium vice fuit.*

Idem affirmatur apud Freind c. 9. p. 64. & in Eph. nat. cur. Dec. 7. ann. 10. obſ. 93.

Qui porro de menſibus per alias vias fluentibus legere deſiderat evolvat Hallerum, Bartholinum, the Philoſophical Tranſactions of London. &c.

Swietenius de hiſce mentionem faciens ait ad §. 1286. *Certum eſt per obſervationes fideles, & numeroſas, quod ſanguis ob ſuppreſſionem menſtruorum retentus, adeoque accumulatus in corpore, miras ſæpe inveniat vias, per quas exeat. Solet quidem plerumque hoc explicari, quod per plethoram diſtenta vaſa rumpantur quandoque, vel & nimis dilatata, absque ruptura, per anaſtomoſin ſanguinem emittant, ſed tamen inde non patet evidenter, quare in plethora a ſuppreſſis menſibus nata hoc contingat frequentius, quam ſi ab aliis cauſis nimia copia ſanguinis accumuletur in corpore: ad* §. 1284. *dictum fuit a ſola plethora menſtrui fluoris cauſam deduci non poſſe, cum ſanguinis miſſiones non impediant, quo minus ſolito tempore menſtrua prodeant; Eadem illa cauſa, quæ aperit vaſa uterina, quam me ignorare lubens fateor, ſi applicetur aliis corporis vaſis, idem facere poterit.*

§. XVI.

Sed forſan quiſpiam dicet, ſi materia hæc peculiaris, quæ aliquando effectus par. 6to. deſcriptos producit, menſtruationis eſſet cauſa, in tenerrimis embryonibus, qui omne nutrimentum ex ſanguine materno habere debent, adlatos effectus produceret, atque ſi illos non interficeret, tenello ſaltem fœtui multa mala adferret; hoc tamen non fit, imo legibus ſummi Numinis, quod omnia adeo dirigit, ut humano generi commodiſſima atque utiliſſima fiant, repugnaret.

§. XVII.

Hancce propoſitionem ſequenti modo ſolvere conor. — Natura non ſolum humano generi, verum quadrupedibus, aliisque animalibus uterum, ovariaque dedit, uterum ad impregnatum ovulum accipiendum & nutriendum, ovaria ad ſtimulum venereum producendum & materiam menſtruum fluxum efficientem ſecernendam. Nunc vero perſcrutemur, quid graviditatis tempore in corpore feminino fiat, quinam effectus exinde oriantur, & quo maneat materia deſcripta ſtatuto illo tempore.

§. XVIII.

De fluxu menſtruo tempore graviditatis.

Femina fere ſemper manet ſana, & quaſi intacta ab ipſo conceptu ad tempus, quo catamenia fluere oportent, tunc vero plurimæ de dolore quodam interno in ovariorum uterique regione conqueruntur, mox poſt nonnulla ſymptomata §. 6to. deſcripta ſeſe obferunt, tandem nauſea afficiuntur mulierculæ, & materiam quandam albam ſpiſſam vomitu expellunt, quæ nauſea & vomitus plerumque fit mane, & quidem ipſo ſurrectionis tempore: hæ feminæ poſt vomitum per totum fere diem alicquin bene valent: aliæ loco mane expellendi materiam viſcidam, continuo evomunt, omniaque tam fluida tam ſolida pene expellunt, & vomendi niſus, vel ipſe vomitus per totum fere diem perdurat.

Aliæ rurſus pyroſi laborant, & hic morbus adeo familiaris eſt gravidis, ut Sauvagesius, aliique pyroſin inter graviditatis ſigna recenſuerint.

Aliæ vero nec evomunt, nec nauſea, aut pyroſi afficiuntur, ſed materia quædam viſcida uropoeieſi expellitur.

Aliæ

Aliæ per vaſa vaginæ albam quamdam materiam aliquando ſanguine tinctam ejiciunt: omnes tamen catameniorum tempore menſtruantium febricula afficiuntur (*y*).

§. XIX.

Horum ſymptomatum cauſæ ſequenti modo hucusque a Phyſiologis explicatæ ſunt, nauſea & vomitus e conſenſu nervorum uterum inter, & ventriculum, & cephalalgia ex eodem conſenſu, & ex plethora originem haberent, unde pyroſis, unde viſciditas illa vomitu expulſa, atque unde materia alba ſpiſſa per vaginam fuſa hucusque intactum remanſit, atque illa quæ per uropoeiëſin fiunt, nondum, quoad ſcio, obſervata ſunt (*z*).

§. XX.

(*y*) Inter graviditatis ſigna quoque recenſendum eſt, quod oculi magis contracti, & cavi ſeſe obſerant, & oculorum album livido colore tingatur. Quæ omnia non ſunt plethoræ ſigna: ſi enim juſto major ſanguinis quantitas in corpore hæreat, oculi prominent, & vaſa in oculorum albo ſunt rubra, dum in plurimis gravidis juxta tempus, qno menſes fluere oportebant, facies fit pallida, & contracta, imo aliquando colorem graviditatis tempore naturalem amittit, &, nigreſcit, ut patet ex artis Apollinei antiſtitis Cl. Lorryi exemplo, in præſtant lib. de melanch. & morb. melanch. tom. 1. p. 230.

(*z*) Hoc eſt, quod materia alba ſpiſſa, absque ſanguinis evacuatione, regulariter ſit expulſa; ſanguinis enim evacuatio-

§. XX.

Secundum noſtram opinionem, ſymptomata §. 18vo deſcripta ſequenti modo explicanda ſunt. Materia menſes producens, quæ propter uterum occluſum non expelli poterat, in ſanguinis maſſam abit, effectusque antea plus ſemel deſcriptos producit. Natura vero, quæ defectus, vel errores, ſi aliquando contingant, fere ſemper emendat, mox alias ad expellandam illam materiam invenit vias, materiam nempe frequentiſſime propellit ad vaſa gaſtroëpiploica ventriculi, ubi irritationem facit, unde nauſea, & vomitus naſcatur, quibus vaſis materies hæc heterogenea expellitur: hic vomitus plerumque fit mane, & cauſa forſan in eo hæret; nocte ventriculi contenta ſub ſomno muſculorum abdominalium ipſiusque ventriculi, & diaphragmatis tunc quammaxime agentis ope in duodenum expelluntur, & ventriculus

tionem per veſicam, menſium tempore, regulariter redientem, jam obſervavit HOLLERIUS oper. pract. l. 1. c 52. p. 436. ſic quoqne GALENUS (α), *de ſanguine cum rubra quadam ſanie perinde ac ſi carnium recens mactatarum loturis fuliginem miſcueris*, mentionem facit (α) de loc. affect. lib. VI. Cap. V.

lus magis minusve fit vacuus, in quo vacuo ventriculo materiæ ſeſe inſerendi datur occaſio, donec femina in lecto tranquelle jacet, materia hæc absque ullo malo effectu in ventriculo manet: mox vero ſi femina ſeſe moveat in actum fertur, (*a*) ventriculumque adeo irritat, ut cuncta ſua contenta expellat: hiſce expulſis, cauſa ablata evaneſcit effectus; per diem vero cum cibo potuque adeo miſcetur hæcce materia, ut paucos vel fere nullos poſſit producere effectus, niſi in feminis valdequam irritabilibus; & ſi aliquas ſenſationes ingratas producat, mulierculæ quaſi inſtinctu Naturæ (*b*), impulſu au-

(*a*) *Notum eſt* (inquit Swietenius loco quodam) *ſi quis vinum acidum ingeſſerit, vix moleſtiam ſentiet, verum ſi eructaverit vel in rheda vectus concutiatur ſolet cardialgia ſequi.* Sic quoque vomitoria poſt corporis motum melius, & citius operationes ſive effectus ſuos producunt, & quidem adeo, ut Tart. Emet. parva doſi absque corporis motu ut purgans, cum ejus motu, ut Emeticum operetur

(*b*) Porro notandum eſt, nonnullas dari feminas, quæ aliquando acerrimo appetitu unius alteriusve cibi, quantitatem ſtupendam, quando gravidæ ſint, comedere optant. Sic e. g. ait Tulpius ſe vidiſſe feminam, quæ inpregnata delectabatur tam immenſe halecibus ſalitis, ut ante partum comederit mille & quadringentos: attamen ſine ventriculi offenſo, ullove ſanitatis diſpendio: & infans eodem delectabatur appetitu, ut, cum necdum poſſet verbis, expeteret tamen ejaculatu halices.

automatico corpora terreſtria, materiam illam abſorbentia avido ore comedunt, atque eo modo malum inde naſcens emendant, & per parvam diarrhæam feliciter curantur. Verum etiam non negare poſſum, quod conſenſus, qui ope nervorum eſt uterum inter & ventriculum, nonnunquam irritationem, nauſeam, atque vomitum producat verum conſenſus non major eſt inter hæc duo organa, quam inter uterum, & renes, veſicam, inteſtina &c.: & ſi conſenſus unica eſſet cauſa, cur quæſo ſymptomata illa inciperent tempore, quo menſes fluere debebant? & unde naſceretur materia illa viſcida?

Quod ad pyroſin: optime NOSOLOGORUM principes SAUVEGESIUS atque CULLEN pyroſin interier graviditatis ſigna recenſerunt; quod me quoque experientia plus ſemel docuit.

Explicare quomodo pyroſis ex graviditate fiat quamvis ſit ardua atque difficilis res, pro viribus conabor. Pyroſis enim ſecundum noſologos eſt *Epigaſtrii dolor urens, cum copia humoris aquei, plerumque inſipidi, aliquando acris eructata* (c).

Hic

(c) CULLEN noſologia ſeu genera morborum C. LIV.

Hic morbus utrumque ſexum afficit, præcipue tamen & frequentius ſequiorem, & inprimis feminas ſteriles (teſte Cl. CULLENO) (*d*).

Materia deſcripta, quæ propter vaſorum uterinorum obſtructionem graviditatis tempore non expelli, poterat in ſanguinis maſſam abit, & effectus nonnullos §. 6ti. producit, tandemque ad vaſa gaſtroëpiploïca propellitur, quo vaſa illa minima plus juſto extenduntur, qua extenſione 1mo. majori gradu ventriculi glandulæ minimæ premuntur, & contenta ſua limpidum fluidum expellunt. 2do. Acri vel ſaltem inſolita materia vaſculorum illorum nervi afficiuntur, qua irritatio in glandulis modo dictis, quibuscum connectionem habent magnam, producitur, & quo magis partes illæ premantur, atque irritentur, eo majorem fluidi copiam expellunt, ut in Cholera, aliisque morbis manifeſte patet.

Materia illa irritante ventriculi nervi afficiuntur, unde, me Judice, dolor urens, tenſivus atque contractorius, quem ſemper morbus ille comitatur, mox poſt dolorem urentem nauſea fit, quod ma-

(*d*) In prælectionibus ſuis practicis.

materiæ jamjam ventriculo expulſæ ſignum eſt: & tandem ut noſologi bene obſervarunt ructus acres oriuntur, & morbus vel vomitu vel ſedibus finitur. Cl. Culleni obſervatio, quod feminis ſterilibus morbus ſit familiaris, optime cum theoria noſtra convenit, & cauſa quidem in eo hæret: muliercùlis ſterilibus menſes non fluunt, quo uterus manet occluſus, & ex uteri obſtructione ſterilitas oritur: nam, ut in paragraphis ſequentibus demonſtraturus ſum, menſium fluxus ad fœcunditatem promovendam quammaxime neceſſarius eſt.

Utero enim obſtructo, materia menſtrualis in ſanguinis maſſam abit, ad ventriculum propellitur, & pyroſin producit.

Aliquando menſes (teſtibus auctoribus) graviditatis tempore regulariter fluunt: & hoc quidem ſæpe contingit; nempe quod feminæ gravidæ materiam albam meſtruationis ſtadio de utero fundant; quam aliquando ſanguinis evacuatio ſequitur; & non mirum: vagina enim ex eodem trunco vaſa ſanguifera habet ac uterus, imo non ſolum vaginæ & utero contingit, ut ſanguis poſt materiæ viſcidæ evacuationem expellatur; verum etiam aliis in locis idem ob-

ſervatur: feminæ enim vomitu, menſibus obſtructis ſæpe ſanguinem evacuant.

Materia viſcida porro nonnunquam graviditate per urinarias expellitur vias, poſtquam ſymptomata parag. 61 prægreſſa ſunt, atque absque nauſea aut vomitu, aut alio qnodam morbo, mulierculæ, novem graviditatis menſes ſaniſſime vivunt.

§. XXI.

Non deſunt porro exempla (*e*) feminarum, quæ non gravidæ nunquam ſanguinem de utero fundunt, mox vero, ſi gravidæ ſint factæ, evacuatione illa gaudent, ita ut apud illas mulierculas ſanguinis fluxus periodicus graviditatis ſit ſignum.

Nonne forſan cauſa in eo hæret? Quod dum non ſint gravidæ hæ feminæ, per uteri vaſa materia deſcripta expellatur, quæ forſan majori elaſticitate prædita ſunt, quam vaſa vaginæ, & quæ ergo, materia hac expulſa, ſeſe ſubito, absque ulla ſangui-

nis

(*e*) Eph. Nat. Cur. vol. X. obſ. 90.
DEVENTER nov. lum. art. obſt. p. 71.
Journal. med. tom. II. n. 4.
STORCK Weiberkrankh. tom. VII. pag. 62.

nis evacuatione, rurſus contrahunt: dum e contra graviditatis tempore, via illa obſtructa, materia deſcripta per alias vias, ut antea jam dictum eſt, ſeſe exonerans, per vaſa vaginæ, cujus ſanguifera vaſa forſan, illis in feminis non ſunt adeo elaſtica, cum ſanguinis fluxu expellitur.

§. XXII.

Aliquando tamen fit, quod in gravidis nulla evacuationis materiæ deſcriptæ indicia per vias memoratas ſeſe obferant.

Nonne forſan tunc per ſudores, aut alias ſecretiones, & medicis & mulierculis ipſis inſciis, materia hæc expellitur? Nam plurimæ feminæ dantur, quæ per totum graviditatis tempus bene valent, & ne unicam materiæ deſcriptæ per loca adlata fundunt guttulam, attamen in illis ſingulo menſe, & quidem eodem tempore, quando catamenia fluere deberent, menſtruantium ſymptomata nonnulla, inter quæ manifeſte febris menſtrualis, obſervantur.

Idem

(*f*) *Aliquando etiam ſalivatio aut diarrhœa menſium vice fuit*: ait Hallerus in prælect. ad Boerh.

Idem quoque adnotavit Cl. WERLHOVIUS (*g*) dum *Tempore ſtato menſtruo, quodcunque illud ſit, ſi fluxus non redit per graviditatem, vel lactationem, vel cauſas morboſas ſuppreſſus, quis eſt, qui neſciat, ſæpe molimina tunc aliqua ſentiri, quæ, peracta fluxus alias conſueti hebdomade, ceſſent, & ſæpe non redeant prius, quam tempus ſtatum per menſtruam periodum revertatur.*

§. XXIII.

De materiæ deſcriptæ Utilitatibus.

Naturam nil fruſtra creaſſe veteres jam dixerunt: & plurimorum organorum utilitates in corpore animali veteribus incognitæ, recentioribus inventæ, & deſcriptæ ſunt.

Cujus vero utilitatis eſt fluxus menſtruus regulariter recurrens? Materiam peculiarem ovariis ſecretam ſingulo menſe uteri ope, ſi femina non ſit gravida, naturaliter expelli, graviditate vero per alias fluere vias, antea, ni fallor, demonſtratum eſt.

Dum

(*g*) Obſerv. de febribus pag. 229.

Dum autem mulierculæ illius fluxu adeo crucian-tur, ut antea jam dictum eſt, & ejus fluxus defectus ſexum ſequiorem facit ſterilem neceſſarie utilitates quædam exinde oriri debent.

§. XXIV.

Nunc ergo perſpiciamus, quid catameniorum tem-pore fiat, & quinam effectus exinde oriantur. Ute-rus naturaliter interne tunica (*h*) vel membrana qua-

(*h*) Hancce Uteri membranam internam Hallerus (*α*) dene-gat, dum ait. *Uterus omnino tegitur a peritonæo tanquam ex-terna membrana, & undique clauditur, ut nihil apertum ſit præter tubarum aperturam Interior autem tunica (inquit) nul-la adeſt, ne minus facile uterus in molem majorem distenderetur.*
Celeb. Smellius membranam uteri internam deſcripſit, il-lamque craſſam eſſe affirmat. Dr Burton autem ipſius ad-verſarius multum contra hoc inſurrexit illamque eſſe tenuem dicit.
Clar. tamen Winslowus omnium optime illam deſcripſit dum inquit §. 596. part. 4 *Interna cavitatis uteri ſuperficies membrana ſubtiliſſima inveſtitur. Portio ipſius lata, quæ ad fundum pertinet, admodum polita atque æqualis eſt; portio vero anguſta, quæ ad orificium ducit, peculiari modo rugoſa exiſtit.*
Omnes, quas ipſemet vidi, tenuiſſimae erant.
Et tempus & locus vetat primorum hujus ſeculi anatomi-corum controverſiam reſpectu hujus membranæ deſcribere; quin nempe membrana hæc ab utero ſeparari poſſit atque ovo integumentum præbeat, & poſtea recreſcat, nec ne? An tria dentur orificia iſtis tubarum Fallopii, atque uteri oris corres-pondentia in externa ovi membrana, an vero non? Quin ſit, ſimplex an duplex inveniatur?

(*α*) Prælect. Acad. in Boerh. tom. 5. part. 2. pag. 18. in nota.

quadam tenui veſtitus eſt, quæ uteri cavitatem glabram facit: atque ejus orificium in femina non gravida naturaliter apertum eſt, ex quibus fieret, quod ovulum ovario expulſum, ſi in uterum concavum glabrum incideret, nullis corporibus, quibuscum concreſcere poſſet, in medio exiſtentibus, ſua gravitate ex utero caderet, & ſic exinde abortus fieret.

Quid vero Natura fecit ad hoc præveniendum; ovariis materiam jam jam deſcriptam ſecrevit, atque ad uterum propulſit, ut vaſorum ſanguiferorum ope expelleretur, unde uteri interna ſuperficies glabram ſuam formam amittit, & vaſculis apertis irregularem quamdam figuram acquirit: ſi nunc ovulum membrana externa innumeris vaſculorum abſorbentium ramulis prædita veſtitum in uterum incidit, concretio hoſce vaſculos inter ipſumque uterum fit, quo abortus impeditur: nam ſi inoſculatio vaſorum duas inter partes ſit libera, harum partium concretio exinde oritur; ſæpiſſime autem hoc in chirurgia obſervatur: ſi enim digitorum ſequentium duorum ſuperficies lateralis epidermide adeo deſtituatur, ut nullo corpore heterogeneo intermedio, ſeſe invicem tangant, digiti concreſcunt; idem quo-

que aliis corporis humani partibus non raro contingere, experientia docet.

§. XXV.

Et hæc forſan cauſa eſt, cur feminæ mox poſt menſium fluxum majori gradu quam aliis temporibus œſtro venereo afficiantur; quia nempe uterus illo tempore ad impregnatum ovulum accipiendum & nutriendum aptiſſimus eſt, & concreſcendi commodiſſima datur occaſio: unde jam GALENUS (*i*) ſtatuit: *Conceptus potiſſimum fit, quum menſtrua noviſſime ceſſarunt.* Et cauſa forſan in eo hæret, quod, poſt primam vel ſecundam hebdomadem, vaſa rurſus contracta ſint, & ovulum quamvis in ovario impregnatum (ſi poſt illud tempus impregnari poſſit) & per tubam Fallopianam ad uterum adlatum, inſcia matre, quia cum utero non concreſcere poteſt, & orificium uteri apertum eſt, foras expellatur; Sic etiam ait SWIETENIUS (*k*): *præterea pleræque mulieres impregnantur poſt menſtruum*

(*i*) De Semine lib. I. cap. III. in fine Chart. tom. III. pag. 186.

(*k*) Comment. in Herm. BOERH. par. 1296.

ſtruum fluorem finitum, unde peritæ matronæ tempus futuri partus computare ſolent, dum initium graviditatis ponunt decimo quarto die poſt initium ultimi fluoris menſtrui, & eventus toties confirmavit ſatis juſtum fuiſſe hunc calculum.

§. XXVI.

Ex quibus mihi probabile videtur, materiam deſcriptam ovariis ſecretam, modo nobis incognito, ad uterum transferri, ut ejus ope vaſa uterina adeo aperiantur, ut ovi vaſa externa facillime cum illis concreſcere poſſint: ſeminis ergo maſculini effectu, ovulum ovario incluſum modo quodam, quem alio tempore, quando de conceptu loquar, fuſius tractare intendo, impraegnatur. In corpore vero feminino ope materiæ jamjam deſcriptæ uteri vaſa aperiuntur, quod ad fœtum nutriendum, atque illius concretionem cum utero producendam quam maxime neceſſarium eſt: in utroque ergo ſexu tam mulierum ovariis, quam virorum teſticulis, fluidum quoddam phœnomena toto cœlo a ſe invicem differentia producens, ad eundem ſcopum ad generationem promovendam inſerviens atque neceſſarium, ſecernitur.

§. XXVII.

De materiæ deſcriptæ fluxu in animalibus.

Natura non ſolum generi humano, verum ipſis animalibus (*l*) modo paragrapho precedenti deſcripto favit. Omnia enim animalia, cum œſtro venereo afficiuntur, liquorem quemdam mucilaginoſum, nonnnlla ſanguine tinctum, alia vero album & ſine ſanguinis indicio, de utero fundunt, & quidem me judice propter easdem rationes, ac catamenia in muliere fluunt, nam hujus liquoris fluxu in animalibus, eodem modo ac menſium fluxu feminis, vaſa uterina aperiuntur. Hæc evacuatio in brutis fit circa tempus coitus, hoc eſt circa ſtadium, quando uteri apertura quam maxime ſit neceſſaria.

§. XXVIII.

Sed cur quæſo in animalibus circa coitus tempus ſolummodo, feminis vero ſingulo menſe hæc eva-

(*l*) *Omnia quadrupeda vivipara, quæ ſuffragines flectunt menſes pati* ait ARISTOT. de gen. anim. lib. I. C. XX., aliis locis dicit. *Quod craſſiora mingant & in pilos plethoram abſumant*: aliis locis expreſſe dicit, *vaccas menſtruare.* — Sic quoque BOHNIUS, STAHL, PLATER, teſte SCURIGIO canas menſtruare ajunt.

evacuatio contingit? Cauſa forſan in eo hæret, Natura feminam omni menſe fieri poſſe gravidam, voluit, ut genus humanum omnium animalium majorum prædominans atque maximum eſſet, & quoniam feminæ ſæpius, quam animalia abortum producunt, & viri multa vitæ pericula ſubire debent ſapientiſſima rerum magiſtra generi humano, ut pluribus aliis favoribus, hiſce quoque quammaxime favit: porro animalia multa dantur plures embryones uno eodemque graviditatis tempore in utero gerentia, dummodo femina unum fœtum plerumrumque in lucem edit: alia vero minus vitæ ſtadium habent: et majorum animalium propagationem Natura limitavit 1°. ne ſua ferocitate humano generi nociva eſſent; & ſecundo ut eorum femellæ, non tam ſæpe gravidæ, neque œſtro venereo affectæ, facilius hominum commodis inſervirent.

Hiſce finem imponam cum SWIETENII (*m*) verbis qui ait. *In femina humana fluorem menſtruum fœcunditatis eſſe ſignum ſatis unanimis medicorum ſententia eſt: Obſervatur prodire naturaliter illo vi-*

(*m*) Loco citato par 1284.

vitæ tempore, dum corpus aptum eſt concipiendo, ſervando & nutriendo fœtui: ceſſet idem, dum ætate corpus huic muneri ineptum redditur, unde tunc effœtæ vocantur mulieres; cum autem non certo anni tempore, ut in brutis (n), ſed ſemper in utroque ſexu generandi poteſtas adſit, hinc feminæ humanæ uterus ſingulis menſibus fluore hoc irrigatur, cum in brutis, uterus & pudenda tantum diffluant humoribus illo anni tempore, quo œſtro venereo ſtimulantur.

CONCLUSIO.

Ex quibus prægreſſis hæc concluſio facienda eſt ut in ſexu potiori teſticulorum ope ſemen ſic in ſexu ſequiori ovariorum ope materia deſcripta ſecernitur, quæ & ſtimulum venereum & menſes ipſos producit: Nonne forſan ſubtiliſſima hujus materiæ pars in coitu, vel genitalium titillatione expellitur; craſ-

(*n*) Mutatio quaedam circa coitus tempus non ſolum animalium feminino, ſed maſculino ſexui contingit ſic, enim teſte Reaumuro Acad. des Sciene 1725. pag. 486., glis quidam datur, qui glis moſcatus dicitur, in quo ante œſtrum Venereum, & poſt illud tempus, figura, colore, & ſitu tam teſticulos ipſos, quam eorum epididymides, & veſiculas ſeminales quammaxime mutari, obſervatum eſt.

craſſiſſima, quæ menſes producit, remanente; dum femellæ unanimiter teſtantur, quod poſt juſtam titillationem quamdam œſtri venerei paroxismus finiatur, unde teſte Tissot feminæ quoque onaniſare dicuntur, quod absque materiæ ſeminalis exiſtentia non intelligi poteſt: Cujus materiæ auxilio vel operatione, mutatio vel aptitudo quædam, in ipſo ovulo, ante conceptum in ovario hærenti, & majori aliis (*a*) adeo naſcitur, ut ſeminis virilis effectu impregnari poſſit, quæ materia ſubtiliſſima ſive ſpiritualis porro facultatem habet genitalia irritandi & ad venerem ſtimulandi: Cujus vero craſſiſſima pars ad vigeſimum octavum, vel vigeſimum nonum diem, ſecundum Naturæ leges (*b*) in ovariis retinetur, tandemque ad uterum propellitur, ut organum hoc ad concretionem cum ovulo produ-

(*a*) Ut jam Ruisch obſervavit atque ſæpiſſime vidi.

(*b*) Si forſan quispiam rogat, cur ad vigeſimum octavum vel vigeſimum nonum diem materia illa in ovariis manet, & cur non citius vel tardius expellitur, cum Hallero dicem qui loco quodam ait. *Non magis credo me ad reſpondendum teneri, quam tenerer. ſi quæreres, cur nono menſe fœtus humanus in lucem edatur, alio menſe equinus, ovillus: aut ſi rationem peteres, quare plantæ aliquæ Junio, aliæ majo floreant & quare ſexta poſt florem ſeptimana ceraſa matureſcant, quarto menſe poma, caſtaneæ quinto.*

ducendam, illudque nutriendum ſingulo menſe aptum fiat.

Contra hæc forſan objicitur 1mo. Puella tenera ſtimulo venereo aliquando afficitur, antequam catamenia fluere incipiunt. 2do. Menſes non nunquam fluunt, quamvis in ſe non ſtimulum ad venerem obſervat femina: imo ait SWIETENIUS. *Plures noſco rite menſtruantes, quæ in venerem ſegnes maritorum evitabant complexus moroſæ:* ex quibus videtur materia menſes producens, ab illa ſtimulum ad venerem efficiente, differre. 3^{tio}. Dantur feminæ libidinoſæ, quibus nunquam catamenia fluxerunt, idem quoque in vetulis aliquando locum habet.

Contra quas objectiones ſequenti modo argumentor, & quidem contra 1^{mam}. non ſolummodo juvenculæ ſed etiam nonnulli maſculi ante pubertatem (ut plurimi teſtantur) œſtro venereo afficiuntur, & poſt titillationem juſtam idem, ac poſtea in expulſione ſeminis ſentiunt: in ſexu ergo maſculino, non ſemine expulſo, cur quæſo menſes fluerent in ſequiori, dum ſemen maſculinum, & materia deſcripta menſes producens iiſdem effectibus gaudent, ut antea jam demonſtratum eſt: contra 2^{dam}. objectionem,

nem: materia ſubtiliſſima, & quaſi ſpiritualis genitalia ad venerem ſtimulans per alias forſan fluit vias, ac quidem craſſior pars, quæ uteri vaſis ſanguiferis expellitur: organa ergo per quæ ſubtilisſima transire oportet, poſſunt eſſe obſtructa, dum e contra aliis viis apertis tam ſubtilis, quam crasſior pars per illas expellitur. Contra 3^{tiam}. objectionem: vaſa ſanguifera, per quæ craſſiſſima pars fluere debet obſtructa eſſe poſſunt, dum via pro ſubtiliſſima aperta remanet, quod in vetulis locum habet: in junioribus tamen feminis laſcivia aliquando quoque absque menſium fluxu obſervatur, ſed in illis per alia loca, ut antea ſæpius demonſtratum eſt, materia deſcripta pro maxima parte expellitur.

En benevole lector illa, quæ de hac intricata materia collegi: hiſce autem finitis amicus meus J. P. Michell mihi diſſertationem ſuam inauguralem (*c*), quae ante tres hebdomades in hac alma Academia publice defenderat, tradidit; in qua multa inveniuntur; quam theoriæ noſtræ non parvam lucem præ-

(*c*) *De mirabili, quæ caput inter & partes generationi dicatas intercedit, Sympathia.*

præbent, quapropter nonnulla, quæ pag. 6ta. ſunt ſcripta hic deponam: eoque magis, quia Celeb. Archiatri G. VAN DOEVEREN viri tam munerum gravitate quam doctrina & meritis clari auctoritate, teſte MICHEL, ſcripta ſunt.

Doctiſſ. ergo MICHELL. pag. 6ta. dicit.

1. Effectus pubertatis tempore in ſexu ſequiori conſpicui vix explicabiles ſint, absque talis materiae concurſu.

2. Effectus mox memorati maxime conveniant cum iis, qui in potiori ſexu obſervantur, ex ipſo ſemine ortum ducentes.

3. Seminalis illa materies effectus profert in ſequiori ſexu, qui in potiori, juxta leges determinatos, ex ipſo ſemine oriuntur: innuo illa exempla, ubi virginibus barba in mento increvit, vox virilis fuit facta, & tanta accedit mutatio, ut externam virilis habitus formam induxerint.

4. Morbi fœminei uarii a menſtruatioe anomala non repetendi, vulgo irritabilitati nimiæ adſcripti, v. g. Paſſio Hyſterica; quæ ſæpe oritur, ubi nullum omnino uteri vitium organicum adeſt, quum tamen cauſſam in utero hærere ipſæ ſentiant ægræ & fateantur.

5.

5. Docet hoc etiam Furor uterinus & epilepſia, eorumque periodicus reditus: hi enim morbi ſæpe oriuntur, ubi nullum vitium organicum adeſt genitalium, nulla menſtruationis anomalia, quum tamen ex utero ortum eos morbos ſæpe, imo priorem ſemper ducere tam certum, quam quod certiſſimum.

6. Docent hoc morborum ſupra memoratorum cauſſæ, v. g. Veneris abſtinentia nimia, amor fruſtratus, vel & nimius, quæ certe in commune ſenſorium & genitalia agentes cauſſæ, imaginationem depravando & materiam ſeminalem corrumpendo, promum condum horum morborum conſtituunt.

7. Idem monſtrare videntur horum morborum ſymptomata, præter topica enim uteri mala, adeſt enormis ad Venerem appetitus, dolor ad uteri regionem, pruritus, imo ſæpe effluxum materiæ ex genitalibus paroxysmus ſolvitur (*d*) & hoc ſæpe fit, cum nullum omnino adſit, vel ute-

(*d*) V. Hoffmann *Med. Rat. Syſt. T.* IV. *P.* III. *pag.* 164. & Astruc. *Mal. des Femmes Tom.* IV. *p.* 65. 80.

uteri, vel genitalium vitium organicum, imo ne menſtruatio quidem anomala.

8. Neque diſſimilia docent horum morborum exitus & curatio: vix enim, niſi menſtruorum anomalia adeſt, & ne tunc quidem, niſi prudentiſſime, conveniunt antihyſterica illa calida, ſtimulantia, emmenagoga, quæ in Paſſione Hyſterica, Furore uteri & Epilepſia ex eodem ortum ducente, a multis commendantur: hæc enim uteri actuoſitatem ſtimulantia, ſtimulo ipſam cauſſam morbi augent, quæ optime, per remedia craſin humorum corrigentia, & ſolidorum ſenſilitatem minuentia tolleretur: ſic materies ſeminalis corrigeretur, & acritas ſubigeretur, ſolidaque contra ſtimulum armarentur: hinc Cortex Peruvianus, Martialia, temperantia, antiſpasmodica, emollientia tanti in his morbis ſunt uſus.

9. Probabilitas exiſtentiæ hujus liquoris multum inde augetur, quod conſtat, hos morbos ſæpe minui, imo ex integro non raro tolli, titillatione partium genitalium prudenti, vellicatione pilorum, aliisque hujus generis remediis, quæ poſt optima revellentia & derivantia fruſtra applicita

mor-

morbum ſæpe tollunt: unde videntur elici poſſe hæc remedia non agere ſola vi revellente, derivante, verum & ſingulari quadam actione materiam illam, morbum cauſſantem, provocare, quum conſtet hos morbos per effluxum talis materiei ſæpe ſolvi.

10. Sed &, quod magis eſt, ipſe coitus, Auctore Hippocrate, ſæpe in deſperato caſu morborum horum ſanationem abſolvit, qui cujuscumque generis remediis reſtitiſſent: hoc autem coitu videtur excerni ſingularis ille humor, qui qualitate & forte quantitate in his morbis peccare videtur.

11. Robur his addit uteri fabrica vaſculoſa, & ovariorum analogia cum teſtibus, quæ docere omnino videntur materiei cujusdam ſecretionem.

12. Neque parum mihi videtur probare analogia ab aliis organis petita; vix enim in H. C. organon adeſt, appetitui cuidam deſtinatum, quod non habeat liquidum quoddam, ſtimuli vice gerens, quo irritatum excitat ſenſationem in mente rei, quam appetimus, & organon ad accipiendum vel expellendum adaptatur. Ventriculus v. g. & inteſtina ſucco gaſtrico, enterico & bile, veſi-

cà

ca urinâ, alvus fœcibus ſtimulantur, ideam, famis, vel & ſordium expulſionis excitat in mente, & ipſum organon ſuo determinato ſtimulo ad agendum diſponitur & incitatur: quid itaque, quum omnia organa tali ſtimulo gaudeant, uterus tali careret, quum nullus, in quo vehementius ruimus omnes, appetitus detur.

13. Ipſi Viri celebres, qui ſeminis exiſtentiam non admittere videntur in ſexu ſequiori, horum argumentorum vim percepiſſe videntur; *ſtimuli Venerei* nomine uſi: quid enim per hunc ſtimulum intelligerent, niſi quidem illum uterum & genitalia ad Venerem incitantem, ipſe hypotheſibus infenſiſſimus, ſupra laudatus Cl. Albinus (*e*) ſequentibus verbis ſe ab hac hypotheſi haud alienum fuiſſe docet; „ *Igniculi venerei incitant faciuntque, ut appetat ſexus alterum* &c. ibi enim per igniculos illos ſtimulum venereum intelligi, ſatis clarum mihi videtur.

14. Morbi præterea uteri & ovariorum, quos cum aliis organis ſecretoriis communes habent, ulterius

(*e*) *L. c.* §. 1403.

rius ſententiam meam adſtruunt: ſcirrhus v. g. cancer, carcinomata, aliaque hujus generis mala; organa generationis frequentiſſime infeſtant.

15. His argumentis colophonem adjiciat Autopſia; in mulierum enim, quæ diu a venere abſtinuerant, defunctarum utero materiam ſeminalem ſe vidiſſe adſerit, non minimi ſubſelli Medicus Jo. FERNELIUS (*f*), & uterum hyſteromaniacæ hunc liquorem magna copia continuiſſe vidit ARNAUD (*g*).

Ex quibus auctor mecum materiæ ſeminalis exiſtentiam in corpore feminino probare conatur.

(*f*) *Medicin. univerſ. lib.* VII. *cap.* VI. *p. m.* 177.
(*g*) In libr. cit. Apud HALLERUM. *El. Phyſiol. T.* 8. *p.* 14.

FINIS.

MANTISSA THESIUM.

I.

Superfœtatio locum habere poteſt.

I I.

Nec ex animalculis LEUWENHOEKIANIS, *nec ex utriusque ſexus ſeminis mixtura foetus producitur.*

I I I.

Quamvis juxta primorum anatomicorum opinionem vaſis lymphaticis encephalon deſtituatur, illa ibi æque ac in aliis C. H. partibus hærere, opinor.

I V.

Corpus luteum non hæret in ovario ante conceptum, ſed ovuli expulſi quaſi reliquium remanet.

V.

Fimbriarum diſpoſitio morboſa, earumque concretio, fœtuum extra uterinorum plerumque eſt cauſa.

V I.

VI.

In vetulis ova non evanuerunt ut HALLERUS *voluit, verum plerumque indurata ſunt.*

VII.

Callus ex perioſtio naſcitur, & materia poſt trepanationem foramen in calvaria tegens non ex oſſe, ſed ex pericranio originem habet.

VIII.

Spina Ventoſa morbus eſt univerſalis in toto ſyſtemate hærens, non vero particularis, quamvis ſeſe ea ſub forma plerumque obferat.

IX.

Lues Venerea & Gonorrhœa morbi ſunt in natura ſua differentes.

X.

Febris puerperalis morbus eſt contagioſus, plerumque lethalis.

XI.

XI.

Qui in omni delirio cum pulſu juſto fortiori Venæſectionem præſcribunt, male agunt, & ſæpe ægrum eo modo interficiunt.

XII.

Sententia BOERHAVIANA, *quod infantum Rachitis ex parentibus Venere nimis debilitatis originem habeat, mihi non veroſimilis videtur.*

XIII.

Cortex Peruvianus in ſubſtantia dandus ante decocta vel extracta in febribus eligendus eſt.

I N D E X.

Sectio Prima.

Generalia quædam de fluxu menſtruo. . . Pag. 1

Sectio Secunda.

Auctorum opiniones de fluxus menſtrui cauſis. . . . . — 8

Sectio Tertia.

Harum opinionum refutatio. . . . . — 13

Sectio Quarta.

Noſtrum de fluxus menſtrui origine ſyſtema. — 31
De materia quadam peculiari ovariorum ope ſecreta. . . . . — 33
De fluxu menſtruo in puellis, atque feminis non gravidis. . . . . . . — 48
De fluxu menſtruo tempore graviditatis. . — 56
De materiæ deſcriptæ utilitatibus. . . . — 65
De materiæ deſcriptæ fluxu in animalibus. — 70
Concluſio. . . . . — 72

ERRATA TYPOGRAPHICA.

In proleg. loco		*in faller*	lege *ni faller*
Pag.	2	*mateliæ*	*materiæ*
—	—	*obſerans*	*obſerant*
—	11	*ſi*	*ſi*
—	12	*animimali*	*animali*
—	13	*ſi*	*ſi*
—	14	*fit*	*fiat*
—	16	*ſit*	*fit*
—	—	*menſtruxerum*	*menſtruerum*
—	18	*obeſieres*	*obeſiores*
—	20	*ſit*	*fit*
—	23	*apnd*	*apud*
—	24	*partem*	*partim*
—	27	*ſacile*	*facile*
—	29	*limias*	*ſimias*
—	32	*ſecnrius*	*ſecurius*
—	40	6ſte	6ti
—	42	*ipſiſſimæ menſes, quæ*	*ipſiſſimi menſes, qui*
—	46	*eum*	*cum*
—	47	*remeneant*	*remaneant*
—	52	*cataminiis*	*catameniis*
—	59	*appelitu*	*appetitu*
—	60	*interter*	*inter*
—	73	*dicem*	*dicam*